MEMORIA
HISTORICA
CONCILIORVM
GENER

6
19 A
39


MEMORIA
HISTORICA
CONCILIORVM
GENER
1936
1939

6-19-A-39

MEMORIA HISTORICA

CONCILIORVM GENERALIVM

Approbatorum, ex Sacris Codicibus, & grauiſſimis ſcriptoribus.

COLLECTA.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D.

IO: BADVARIO

Patriarchæ Venetiarum, Dalmatiæq; Primati, &c. dicata.



VENETIIS, M. DC. LXXXIX.

Ex Typographia Iuliana.

Superiorum Permiſſu, & Priuilegio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

ILLVSTRISS^ME^

ET REVERENDISS. D.

NAuis Apoſtolica Catholicæ fidei Mercibus onuſta Chriſti Vicario ad portum ſalutis traducenda committitur; Verum oborta impietatis tempeſtate, irruentibus hæreſum fluctibus penè mergi viſa eſt; Attamen iactari potuit, obrui non potuit; Nam ſacrorum Conciliorum, quaſi ſacra anchora firmata præſidijs, impactos hæreticorum impetus ſtrenuè ſuſtinuit, cordaque fidelium confirmauit Oraculum. Et portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam. Huius

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

pulcherrimi Eccleſiæ triumphi Memoria, vt Credentium mentibus quotidiè hæreat, & occulis eam ſubijcere neceſſe fuit. Itaque huius noſtri cuiuſcunque laboris pretium eſt, hanc Eccleſiæ victricis Recordationem vno quaſi aſpectu hominum ingerere obtutibus. Quorum autem non merebitur, ſi tuos conſecutus erit, Illuſtriſſime, & Reuerendiſs. Præſul? Quamobrem non inſcij eorum, quæ nobis proſunt, tibi potiſſimum noſtrum hoc opus nuncupauimus; illud etiam fore ſperantes, ſummam illi gratiam acceßuram apud hunc Clericorum tuorum Venetum Cætum, (cui præcipuè ſtuduimus illo in edendo) ſi tibi commendatum eſſe cognouerit. Vale.

D. T. Illuſtriſſimę & Reuerendiſs.

Dinotiſſimi Serui

Io: Antonius, & Fratres Iuliani.

IN-

INDEX

CONC. GENER.

Approbatorum.

1 *Concil. Nicęnum. 1. pag.* 1.
Conc. Sardicen. appendix Nicęni. 18.
2 *Concil. Conſtantinopolitanum. 1.* 30.
3 *Concil. Epheſinum.* 53.
4 *Concil. Calcedonenſe.* 79.
5 *Conſtantinopol. 2.* 103.
6 *Conſtantinopol. 3.* 119.
7 *Concil. Nicęnum. 2.* 133.
8 *Concil. Conſtantinopol. 4.* 153.
9 *Concil. Lateranenſe. 1.* 178.
10 *Concil. Lateranenſe. 2.* 184.
11 *Concil. Lateranenſe. 3.* 190.
12 *Concil. Lateranenſe 4.* 197.
13 *Concil. Lugdunenſe. 1.* 202.
14 *Concil. Lugdunenſe. 2.* 211.
15 *Concil. Viennenſe.* 217.
16 *Concil. Conſtantienſe.* 222.
17 *Concil. Florentinum.* 247.
18 *Concil. Lateranenſe. 5.* 256.
19 *Concil. Tridentinum.* 267.

INDEX
NOTABILIVM.

A

ACacij, & Anthimi furor. pag. 106
Adriani II. pietas in pauperes. 177
Adrianus Pontif. 6. 272
Aetij hæreſis, & ignorantia. 35
Alex. 3. Pontif. fautores. 191
Alex. 5. Pontif. electio. 229
Anaſtaſij Patriarchæ miſera mors. 142
Antonij Abb. prædictio. 2
Apoſtolica Sedes in Gallia. 225
Eadem Romam reſtituta. ibid.
Arius hæreſiarca. 1
Ariana hæreſis. 2
Arius bis damnatus. 3 & 10
Eidem pœna decreta. 11
Eiuſdem dolus, & mors turpis. 14
Arianæ hæreſis defenſores. 18
Arianorum contumacia, & fuga. 22
Athanaſij in Arium doctrina. 10
Ariana perſecutio in Athanaſium. 19
Auguſtana Confeſſio. 274

B

BAſilij Imper. bonitas. 165
Beguardi, & Beguinæ hæretici. 218
S. Bonauentura creatus Cardinalis. 214
Eiuſdem obitus in Concil. ibid.
Burdinus Pſeudopontif. Captiuus. 181

Ca-

C

Caliſti 2. Pp. & Henrici Imp. pax. 182
Canonum 6. Synodi verus numerus. 132
Cirillus Alexand. defenſor fidei. 53
Idem Legatus in Conc. Epheſ. 63
Eiuſdem iniuſtus carcer. 69
Clem. Pp. 7. & Imper. Bononiæ cōueniunt. 274. ſeq.
Confirm. Synodi Conſtantinop. 1. 49
Concilij Epheſini Indictio. 65
Conciliabulum contra Cirillum. 67
Concilij Epheſini confirmatio. 73
Concilij Calcedonenſis ordo. 93
Eiuſdem decreta, & laudes. 101
Concil. Conſtantinopol. 2. conuocatio, decreta, & confirmatio. 113. & ſeqq.
Concil. Conſtantinopol. 3. conuocatio, decreta, & confirmatio. 131
Concil. Nicani 2. Conuocatio; Patrum num. & decreta. 148. ſeqq.
Concil. Conſtantinopol. 4. cauſa. 153
Concil. Lateranenſis 1. Cauſa. 178
Eiuſdem decreta. 182
Concil. Lateranenſis 2. cauſa. 184
Eiuſdem decreta. 189
Concil. Lateranenſis 3. cauſa. 192
Eiuſdem decreta. 194
Concil. Lateran. 4. cauſa. 198. ſeqq.
Eiuſdem decreta. 201
Concil. Lugdunenſis 1. cauſa. 202. ſeqq.
Eiuſdem ſedes, & decreta. 209
Concil. Lugdunenſ. 2. cauſa. 211. ſeqq.
Eiuſdem decreta; Vniōnis Græc. conditiones. 214
Concil. Viennenſis cauſa. 217

Eiuſ-

Eiuſdem decreta. 220
Concil. Conſtantienſis cauſa. 222
Eiuſdem Seſſiones, & decreta. 233
Concilij Florentini cauſa. 247
Eiuſdẽ quaſtiones cũ Græcis, & decret. 251. *& ſeq.*
Concilij Lateranenſis 5. *decreta.* 257
Concilij Tridentini cauſa. 266
Eiuſdem indictio, & Initium. 280
Eiuſdem inchoandi ordo. 282
Eiuſdem Seſſiones n. 25. *adnotatæ in margine foliorum a prima.* 283
Concil. Tridentinum translatum Bononiam, & translationis cauſa. 297. *ſeqq.*
Idem reſtitutum Tridentum. 305
Eiuſdem ſuſpenſio Seſſione 16. 313
Concil. Trident. finis, & Confirmatio. 336

D

DIoſcorus Alexandrinus Euthichianus. 86
Eiuſdem violentia in catholicos. 88
Eiuſdem expulſio de Concilio. 94
Eiuſdem contumacia, & pęna. 95

E

ERrores ex Arianiſmo. 33
Etheſis Monothelitarum. 123
Euſebius Nicomediæ Arianus. 3
Euthichiana hareſis. 80
Euthichis ficta bonitas. 81
Eiuſdem fautores. 83
Eiuſdem condemnatio. 85
Eiuſdem Blaſphemia. 90
Eurus Euthichianus. 104
Euthichianorum furor. 105
Ætnæ Incendium quando? 196

Eu-

Eugenius Pp. IV. Auchor Concilij Florentini pro vnione Eccleſiæ. 250

F

Fides, ſeu Symbolum Cōſtantinopolitanum. 47
Fides Calcedonēnſis Concil. 97
Photij, & Bardæ inſidiæ in Ignatium Patriarcham. 154. *ſeqq.*
Photius electus Patriarcha. 156
Idem reprobatus a Pontifice. 158
Eiuſdem Conciliabolum, & Anathema contra Pontificem. 161
Eiuſdem ſæuitia in Catholicos. 160
Eiuſdem doctrina hæretica. 163
Eiuſdem condemnatio. 167
Friderici II. Imper. perturbationes in Rom. Pontifices. 203. *& ſeqq.*

G

Gregorij Nazianzeni libera declamatio in Valentem Imper. 41
Gregorius ſpontè dimittit Epiſcop. 46
Guibertus Archiepiſcopus Rauennaten. pſeudo Pontifex. 179
Gelaſius II Pp. Roma eiectus. 181
Gregorij X. Pontif. Coronatio, Decreta, & obitus extra Vrbem. 216
Gregorius XII. ſponte dimittit nomē Pontificis. 237

H

Hilarij Epiſcopi chriſtiana inuectiua in Imperatorem Arianum. 30
Hæreſis Ariana. 1
Hæreſis Macedonij. 33

Hæ-

Hæreſis Aetij. 35
Hæreſis Monothelitarum. 129
Hæreſis Petri de Bruis, 187
Hiſpani Oratoris locus ſedendi in Concil. Tridentino. 331

I

IBæ Epiſcopi Edeſſeni abiuratio, & correptio. 109
Imaginum cultus oppugnatores. 134. *ſeq.*
Io: Damaſceni conſtantia. *ibid.*
Ioannis Vuiclephi hæreſis. 231
Ioann. Huſz errores. *ibid.*
Io. Paleologi Imper. adventus Venetias cum Ioſepho Patr. Conſtantinopol. 255
Eiuſdem Patriarchæ obitus Florentiæ. *ibid.*
Irenæ Imperatricis religio. 146
Iulij II. Animus Militaris, & dictũ notabile. 265
Iulij III. Pontif. electio. 304

L

LEonis Imper. Iconomachi mors. 140
Leontij Bizantini errores. 98. *ſeqq.*
Litteras Apoſtolicas qui ſignauit? 152
Legati, Apoſtolici miſſi Conſtantinopolim ad tollenda ſcandala. 167
Eorumdem iter, negotium, & receſſus. 168. *ſeqq.*
Lutheranorum, & Zuiglianorum diſcordia. 274
Lutheri mors. 282
Lucifer Caluritan. 39

M

MAcedonij hæreſis. 35
Marcianus Imper. defenſor Concil. Calcedonenſis. 100

Marci

Marci Epheſi perfidia. 254
Martinus quintus electus Pontifex ad tollendum Schiſma. 243
Martini Lutheri audacia, & pœna. 268. *ſeqq.*
Meletij Epiſcopi Egyptij Idolatria. 4
Monothelitarum Secta, & author. 119
Monothelitarum fraus, & damnatio. 124. *ſeq.*

N

Nicæni I. Concil. Patrum numerus. 5
Eiuſdem ſedes; & Legati. *ibid.*
Nicænæ fidei diſputatio. 10
Nicæni Concil. 1. Confirm. 11
Nicæa quotuplex. 29
Neſtorij Epiſc. hæreſis. 53
Eiuſdem perfidia, & pœna. 65. *ſeqq.*
Eiuſdem mors horribilis. 72
Neſtorij hæreſis renouata. 107
Nonij Bizantini errores. 110

O

Origenis errores damnati. 116

P

Paſcha celebrandæ dies. 4. 11
Paſchalis II. Pontifex carceratus. 180
Paulus Pp. 3. creatus. 276
Paulus Vergerius ſuſpectus de hæreſi. 290
Paulus Pp. IV. creatus. 315
Pius Pp. IV. creatus. 316
Petri Alexandrini Viſio. 2
Petrus Mogus Euthianus. 104
Petri de Bruis hæreſes. 187
Proteſtantes vnde dicti. 273
Proteſtantium oratores ad C. Tridentin. 308

Pro-

Proterius Epiſc. Alex. occiſus ab Hæreticis. 104
Purificationis B. M. V. feſtum Conſtantinopoli inſtitutum. 118

Q

QVot Patres in Concil. Nicæno I?
Quot, & quales in Conc. Cõſtantinop. I? 43

R

REx Angliæ Henricus olim defenſor fidei. 266
Romana Eccleſia omnium Eccleſ. Mater. 118

S

SArdicenſis Concil. cauſa. 22
Sardic. Concil. appendix Nicæni I. 25
Sardic. Concil. decreta, & approbatio. 22. 26
Schiſma eletione plurium Pontif. 225
Idem continuatum nouis electis. 227
Seueri Euthichiani vita, & iniquitas. 105

T

THeodoſij Imp. religio. 42
Eiuſdem ſtudium pro pace, & fide. 70
Theodoſij Iunioris Mors violenta. 92
Theodorus Pharanita hæreticus. 119
S. Thomas Aquinas vbi defunctus? 214
S. Thomas Cantuarienſis ſpeciali honore habitus a Sum. Pontif. 196
Templarij Inſtitutum, errores, & pœna. 217

V

VAlentis, & Vrſacij errores. 37
Valentis Imp. Mors. 41
Valentinus Dux captiuus. 265
Vigilij Papæ noua electio legitima. 118

Z

ZVuinglius, & Lutherus in hæreſi concordes; in diſputatione diſcordes. 270

M E-

MEMORIA
HISTORICA
Conciliorum Generalium Approbatorum.

CONCILIVM NICÆNVM
Generale Primum.

A Chriſto nato anno CCCXXV.

Siluestri Sum. Pont. anno 2. Conſtantini Impr. anno 20.

FLAVII Conſtantini Magni Imperio Arius Presbyter Alexandrinus, ambitionis, & inuidiæ *a* ſtimulis agitatus aduerſus Alexandrum, qui poſt Petri, & Achillæ obitum Alexandrinam eccleſiam ſanctiſſimè regebat, cum eius vitam non poſſet, doctrinam criminari inſtituit: vtque elati animi fœditatem, quam deformi *b* fatebatur aſpectu, ſacrilega fateretur & lingua, nouo, atque impio dogmate diſſeminato, ad quem honoris gradum nequiuerat ingredi per oſtium, veluti fur, & latro, aliundè aſcendere nitebatur. Itaquæ de Dei filio illa iactabat in

a *Theodor. lib.* 1. *hiſt. Eccl. c.* 2.

b *Epiph. hæreſ.* 69.

vulgus: *Erat* a *aliquando, quando non erat: ex non extantibus factus eſt; non de Patris ſubſtantia genitus ex tempore, non ab æterno: haudquaquam Deus verus de Deo vero; ſed ex nihilo creatus; minor Patre, voluntate, naturaque mutabilis.* Quæ, aliaque id genus cum impiè deliraret, multis ſanè calamitatibus omnem afflixit Eccleſiam, quas antea Petrus Alexandrinus ſanctitate, ac maryirio clariſſimus, & magnus Antonius Abbas prędixerant, b quorũ ille cũ ad aram noctu ſupplex oraret, Chriſtum Dominum vidit diſciſſa veſte, audiuitque flebiliter dicentem: *Arius veſtem meam; quæ eſt Eccleſia, dilacerauit:* hic c verò in queſtus, ac lacrymas effuſus, vidiſſe ſe, retulit, altare Dei mulorum impetu, crebriſque calcibus diſturbatum; Arianæ immanitatis oſtentum. Cum itaque Arij impietas ſeptuaginta d virgines Deo ſacras, ſeptem presbyteros, & diaconos duodecim peſtilenter infeciſſet, Alexander epiſcopus hominem blandis cohortationibus ab ea mente deducere ſtuduit. Verum nec his Arij furor conquieuit: baccari magis in dies pellicere quoſcunque poſſet in ſceleris conſortium, turbare priuatas domos; ipſos etiam Eccleſiarum

paſtores

a *Athan. paſſim.*

b *Acta Martyrij Petri Alex. apud Sur. tom. 6. die 25. Nouēb. & Beda in Martyrol.*

c *Athanaſ. in Antonio.*

d *Epiph. Hæreſ. 69. Theod. lib. 1. c. 2. Ruf. lib. 1. c. 1. Theod. & Rufin. vbi ſupra.*

paſtores vt in lupos verteret, eniti; Euſebium in primis Nicomedienſem Epiſcopum: qui cum ſuſcepto Arij patrocinio, reliquos epiſcopos in eius communionem hortaretur. Alexander periculi *a* magnitudine commotus, coacta ex Libya, & Aegypto centum Epiſcoporum ſynodo, Arium, magnamq; hominum illuuiem, qui in eius verba iurauerant, anathemate perculſos, ab Eccleſia *b* expulit, remque totam per circulares, quas appellant, litteras vniuerſis perſcripſit Epiſcopis. Cæterum Arius, qui in Paleſtina, *c* & apud Euſebium Nicomediæ exulabat, Euſebij machinatione Arianorum Epiſcoporum concilio apud Bithyniam *d* coacto, in Eccleſiæ communionem recipi iubetur. Ad grauiſſimum hoc malum, quod longè, lateque ſerpebat, opprimendum, Alexander datis ad Conſtantinum Imperatorem litteris, *e* pium principem etiã atq; etiam obteſtatus eſt, vt Ariani incendij flammas, quæ plus nimio graſſabantur, ſua auctoritate reſtingueret. Qui miſſo in Ægyptum Hoſio *f* cordubenſi Epiſcopo, cum res æquiſſimè componere conatus eſſet, tantum abeſt, vt ex eo pax Eccleſiæ reddita ſit, vt Ariana in dies hæreſis magis, ac magis inualeſceret.

a *Alex. Epiſt. ad omnes Epiſcopos apud Soc. lib. 1. c. 3.*

b *Epiph. Theod. Sozomen. Socr. vbi ſupr. & Athan. orat. 1. cõtra Arianos.*

c *Epiph. hæreſ. 68.*

d *Sozom. lib. 1. c. 14.*

e *Epiph. hæreſ. 68. & 69.*

f *Euſeb. lib. 2. de vita Conſtant. c. 62 Socr. lib. 1. c. 4.*

Erat, & aliud per id temporis inteſtinum in Eccleſia malum auctore Meletio *a* Ægyptio Epiſcopo, quem multis conuictum criminibus, eo potiſſimum, quod Idolis ſacrificaſſet, cum Petrus Alexandrinus Epiſcopus, & Martyr in frequenti Epiſcoporum ſynodo ab Epiſcopatu deturbaſſet, is rem indigniſſimè ferens, non modo Petrum ipſum, eiuſq; ſucceſſores Achillam, & Alexandrum fœdiſſimis probris, & criminationibus lacerauit, ſed etiam tota ferrè bacchatus Ægypto, & multis per ciuitates diaconis, presbyteris, epiſcopis creatis, pernicioſo ſchiſmate diſcindebat Eccleſiam. Ad hos meletij, Arijq; tumultus accedebat, & alia grauis atque inueterata diſſenſio ex Aſianis *b* pleriſque Epiſcopis, qui nec Dominico die, quo Chriſtus Dominus ab inferis reſurrexit, ſed ipſa quarta decima primi menſis luna, in quemcumque incidiſſet diem, Iudaico ritu Paſcha celebrabant, nec primum menſem eum numerabant, cuius quarta decima luna in ipſum æquinoctij *c* verni diem, proximèue ſequentem recurreret, ſed qui per Iudaicos Emboliſmos, ſeſe primus obijceret. Quem ritum ab Apoſtolica traditione penitus abhorrentem ſanctus Victor *d* Romanus Pontifex, &

a *Athan. Apolog.* 2. *Socr. lib.* 1. *c.* 3.

b *Euſeb. lib.* 4. *hiſt. Ecc. c.* 22. *&* 23. *& l.* 3. *de Vita Conſtant. c.* 5. *Socr. l.* 1. *cap.* 5. *Theod. l.* 3. *de Fab. hæret.*

d *Ambr. de Paſcha Cel. to.* 4.

& Martyr Romæ, Theophilus Cæſarienſis in Palæſtina, Palma in Ponto, Irenæus in Gallia, Bacchilus Corinthi, & Eccleſiæ ad Oſroenam decretis varijs damnauerunt. Verum his remedijs, cum non magis Ariani, quam Meletius, & Arius ad ſaniorem mentem redijſſent, Conſtantinus Imperator, vt laboranti ſubueniret Eccleſiæ, Silueſtri *a* ſummi Pontificis authoritate, aliorumq; *b* ſacerdotum ſententia ex vniuerſis orbis terrarum partibus Epiſcopos in Nicæam Bithyniæ Vrbem, ad lacum Aſcanium, ab Antigono *c* conditam, honorificentiſſimis litteris *d* accerſiuit, diſpoſitis ad itinera vehiculis. Conuenerant autem, præter innumerabiles diaconos, ac preſbyteros, Epiſcopi numero *e* trecenti, & octodecim, viri & vitæ ſanctitate, & miraculis, & diuinarum ſcripturarum ſcientia plane admirabiles, de quibus beatus Ambroſius *f* ad Gratianũ Auguſtum: *Trecenti*, inquit, *decem, & octo Sacerdotes, tamquam Abrahæ electi iudicio, conſona fidei virtute victores, velut trophæum, toto orbe ſubactis perfidis, extulerunt: vt mihi videatur hoc eſſe diuinum, quod eodem numero in Concilijs fidei haberemus oraculum, quo in hiſtoria habemus exemplum.*

a *Sexta Synod. act.* 18.
b *Ruf. lib.* 1. *c.* 1.
c *Strab. l.* 12.
d *Euſeb. l.* 3. *de Vita Conſt. c.* 6. *& ſeq; Theod. lib.* 1. *c.* 7.
e *Euſeb. ibid. Socr. lib.* 1. *c.* 5.
f *Rufin. lib.* 1. *c.* 1. *Epiph. hær.* 69. *Theod. l.* 1. *c.* 7. *& alij.*

Inter hos primas obtinebāt, vt totius agminis ductores Hoſius *a* Epiſcopus Cordubenſis, Vitus, & Vincētius, qui a beato Silueſtro miſſi, vt Apoſtolicæ ſedis legati Sinodo præerant, & Alexander *b* Alexandrinus. Sequebatur Euſtachius Antiochenus, *c* qui doctrina, & ſanctitate *d* conſpicuus, *clariſſima* (vt ait beatus Hieronimus *tuba in aduerſarios bellicum cecinit*: & Macarius *f* Hieroſolymitanus Epiſcopus, quem Arius, vt ſuæ hæreſi acerrimè aduerſantem, apud Euſebium Nicomedienſem in crimen adduxerat. Ex reliquis item excelluere in primis Potamus *g* Heracleenſis, altero orbatus oculo ob teſtimoniū Ieſu Chriſti: *h* Paphnutius Thebaidos Superioris Epiſcopus, Apoſtolicis clarus Miraculis, cui eadem de cauſa alter effoſſus oculus, & ſiniſtrū genu fuerat ſuccisum: *i* Spirido Irimitūthis in Cypro Epiſcopus, mirabilium patrator operum, & ſacrarum propugnator ſcripturarum: Paulus *K* Neocæſarienſis Epiſcopus, ob fidei confeſſionem celebris, manu ferro candenti ſemiuſta: Iacobus Niſcibenus, vir planè Apoſtolicus, & mortuorum ſuſcitator: *l* Leontius Cæſareæ Cappadociæ Antiſtes, prophetico Spiritu commemorabilis; qui dum iter haberet ad Synodum.

a Phot. epiſt. ad Mich. c. 1.
b *Socrat. c.* 9. *lib.* 1.
c *Theod. lib.* 1. *c.* 7.
d *Athan. orat.* 1. *contr. Ar.*
e *Epiſt. ad Euagr.*
f *Theod. lib.* 1. *c.* 5.
g *Ath. Ep. ad ſolit.*
h *Rufin. l.* 1. *c.* 4.
i *Socr. l.* 1. *c.* 8.
K *Theod. lib.* 1. *c.* 7.
l *Gr. Naz. in funer. patris.*

ctum, Gregorij Nazianzeni patrem, & Baptiſmo luſtrauit, & futurum denunciauit Epiſcopum: *a* Amphius confeſſor eximius: Hypatius Gangrenſis *b* meritis, & Martyrio clarus: Nicolaus *c* Myræ Epiſcopus, cuius Sanctitas in illuſtri excelſoq; loco ſemper fuit; alijque complures. Itaque cũ ad condictam diem *d* XIII. Kal. Iulij, Paulino, & Iuliano Coſſ. adfuiſſent, adfuit, & Conſtantinus religioſiſſimus Imperator: qui in omnem pietatis ſignificationem effuſus, dum tot inſignium Patrum conſeſſum, veluti Dei caſtra, venerabundus admiratur, amplectitur *e* Confeſſores, eorumq; exoſculatur cicatrices. Huius celeberrimi conuentus fama permoti complures gentium Philoſophi, ad Epiſcopos dialecticis captionibus, & Ariſtotelicis ſubtilitatibus vexandos conuenere: quornm vnus ceteris inſolentior, verborum inſtructus præſtigiis, cum ab Epiſcoporum manibus velut anguis elaberetur; ſenior *f* quidam ex ſanctis confeſſoribus vnus, nihil aliud ſciens *g* niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum, loquendi facultate ab Epiſcopis impetrata, *In nomine* inquit, *Ieſu Chriſti, Philoſophe, audi quæ vera ſunt*. Quibus breuiter expoſitis, iterum ad eum

a *Rufin. lib.1.c.5.*
b *Theod. lib.1.c.7.*
c *Theod. ibid.*
d *Greg. Nazian. in furore patris.*
e *Athan. Apol. 2. Sozom.lib. 1.c.10.*
f *Menol. Græcor.*
g *Method. in eius vi-*

pæne obmuteſcentem, nec reſpondentem aliud, quàm credere ſe: *Si hæc*, inquit, *ita eſſe credis, ſurge, & ſequere me, & huius Fidei ſignaculum ſuſcipe*. Tum Philoſophus ad eos qui aderant, conuerſus: Donec, inquit, verbis mecum geſta res eſt, verba verbis oppoſui; vbi verò prò verbis virtus proceſſit ex ore dicentis, non potuerunt reſſiſtere verba virtuti. Adornauerat autem Imperator *a* in media regia exedram ſanè ampliſſimam, ſedibus vndequaque diſpoſitis, in quibus ſuo ſinguli ordine conſiderent: quò cum Epiſcopi conueniſſent, adfuit, & Imperator ornatu magnificentiſſimo; quem pro ſua in Epiſcoporũ ordinem reuerentia in ſedili aureo infra Epiſcopos, nec niſi annuentibus illis ſedentem, Euſtachius *b* Antiochenus nomine totius Synodi eleganti oratione excepit, qua eius pietatem, ac ſtudium erga labantem iam, & miſerabiliter afflictam religionem, luculentiſſimis verbis ornauit. Imperator *c* contra, latina oratione humanitatis, ac religionis plena ad veram fidem explicandam, & ad ſcandala de regno Dei tollenda Epiſcopos cohortatus eſt. Quanta verò fuerit Conſtantini erga Epiſcopos obſeruantia, vel ex eo colligi poteſt, quod libellos

a *Euſeb. lib.* 3. *de Vita conſt. c.* 10. *Socr. lib.* 1. *c.* 5. *Theodor. lib.* 1. *c.* 7.

b *Theod. vbi ſupra.*

c *Euſeb. l.* 3. *de Vita conſt. c.* 12. *Theod. vbi ſupra Sozom. lib.* 1. *c.* 18.

libellos *a* accipiens querelarum plenos, quos ei de priuatis iniurijs obtulerant Epiſcopi, eos ne legendos quidem ſibi eſſe putauit, ſed continuò illos flammis tradidit, illud Prophetæ vſurpans; *Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in Medio autem Deos diiudicat. Vos nobis a Deo eſtis dati dij, & indecorum eſt, vt homo iudicet Deos. Ego plane ſi machantem Epiſcopum viderem, ſcelus obtegerem paludamento. Non ad priuatas ergo lites, ſed ad hoſtes fidei profligandos incumbite.* Itaque continuò, cum Arius cum ſua Sacrilega manu in *b* Synodo adeſſet, ipſius dogmata recitantur. Cohorruere *c* Epiſcopi, & conſceleratas voces, obſtructis etiam auribus execrati ſunt. Leguntur, & Euſebij *d* Nicomedienſis, quo præcipuo adiutore nitebatur Arius, peſtilentes Litteræ, atque, vt blaſphemarum plenæ, tota ſpectante Synodo conſcinduntur. Proferuntur deinde, reclamantibus licet aduerſarijs, acta Alexandrini *e* Concilij, vt inde, quo quæque res ordine geſta eſſet, palàm fieret. Tum benigne inuitantur a Catholicis Ariani, *f* vt ſuas ſententias, earumque rationes (quo facilius, his confutatis, veritas eluceſceret,) adducerent in medium. Illi contra, hæ-

a *Ruſin. lib.* 1. *c.* 2. *Socrat. lib.* 1. *c.* 5. *Theod. lib.* 1. *c.* 11. *Gregor. lib.* 4. *Epiſt.* 75 *Pſalm.* 81.

b *Ruſin. lib.* 1. *c.* 5. *Theod. lib.* 1. *c.* 7.

c *Athan. orat.* 1. *Contr. Ar.*

d *Euſt. apud Theo. lib.* 1. *c.* 6. *&* 8.

e *Julius Papa Ep. ad Orient. apud Ath. Apol.* 2.

f *Ath. Ep. cõtra hær. Arian.*

hærere primum; deinde inter ſe inconſtanter depugnare, atque altercari; proferre mox fallacem quamdam, & commentitiam *a* Fidei formulam; qua ſtatim exploſa, atque diſcerpta, cum Conſtantinus maximo ſtudio, ac ſollertia *b* ſæpius inſtitiſſet, vt ſedatis tumultibus orthodoxa veritas omnium ſententia, & auctoritate conſtaret; plerique Patres aduerſus hęreticos doctiſſimè diſputarunt; inter quos Athanaſius *c* Alexandrinus, adhuc diaconus, ſingulari certamine cum Ario acerrimè congreſſus eſt. Rebus itaque in vtriuſque partem iactatis, & ad certam diuinarum ſcripturarum normam perpenſis, communi omnium ſuffragio Arius, & Euſebius *d* damnantur. Conclamatur vnanimi conſenſu *Dei Filius, Deus de Deo, Lumen de lumine, Deus verus de Deo vero ὁμοούσιος*, hoc eſt, *Conſubſtantialis Patri, pronunciatur*, & omnium nomine ab Hoſio *e* Cordubenſi, ſedis Apoſtolicæ legato, concepta fidei formula, non adſcripto tamen die, ſeu Conſule, ne nouum videretur inuentum, ſed ab Apoſtolorum temporibus, atque oraculis accepta traditio. In Arium quoque, & Arianos, (quos Porphyrianos *f* a Porphyrio, qui Chriſto Domino ſimi-

a *Theod. lib.* 1. *c.* 7.

b *Euſeb. libr.* 1. *de Vita conſt. c.* 13.

c *Athan. Apolog.* 2. *Ruf. lib.* 1. *c.* 5. *Socr. lib.* 1. *cap.* 5.

d *Athan. Epiſt. ad Iouian. & Epiſt. de Syn. Theod. vbi ſupra.*

e *Athan. Epiſt. ad Solit.*

f *Socrat. lib.* 1. *c.* 6.

militer oblatrarat, Conſtantinus appellabat) *anathema* promulgatur. Imperator autem Arij libros, hæreſi a Concilio damnata, refertos, non ſolum comburi *a* iuſſit, verum etiam ijs qui Arij *Thaljam*, legerent aut occultarent, pęnam capitis conſtituit. Scripſerat enim Arius librum quem thaljam hoc eſt conuiuium, & *crapulam* vocauit, quo per iocum, & laſciuiam, ſeu per meretricias choreas, & ſaltationes, multorum ſibi animos deuincire ſtuduit. Eiecti *b* poſtremò ſunt in exilium Arius, eiuſque ſocij; tametſi Euſebius *c* Nicomedienſis, Theognius Nicænus, & alij quidam, qui poſtea Concilij decretis ſe obtemperaturos, ſupplici libello, ſpoponderant, ſuis ſedibus reſtituti ſunt. Ceterum, ne qua relinqueretur diſcenſionis occaſio, ſancitum *d* eſt etiam, vt Paſchatis ſolemnitas, de qua non parum ante diſcrepabant Eccleſiæ, non Iudaico, ſed Apoſtolico ritu, hoc eſt luna plena poſt vernum æquinoctium die Dominicò ageretur, inſtituto nouemdecim *e* annorum quaſi circulo quodam, ex quo ea temporis ratio magis eſſet in promptu. De Meletio item *f* cuius petulantia turbauerat Ægyptum, ſtatutum, vt nudo Epiſcopi nomine

a *Socr. ib. & Sozom. lib.1.c.20. Socrat. & Soz. vbi ſu. Ath. orat. 2. cont. Ar. & de Sent.*

b *Ruf. lib. 1. c. 5.*

c *Hieron. aduer. lucif. & Socr. lib. 1. c. 10. Sozom. lib. 2. c. 15.*

d *Epiſt. Synod. ad Euſeb. li. 3. de Vita. Conſt. c. 16*

e *Ambr. Epiſt. 83.*

f *Theodr. lib. 1. c. 9.*

retento, ſine functionibus vllis Lycum incoleret: qui autem ab eo ſacris fuerant initiati, Alexandrino ſubiacerent Epiſcopo, alijs Eccleſiarum miniſtris poſtpoſiti. Editi quoque nonnulli Canones *a* ad ea, quæ dilapſa videbantur, reſtituenda, aut ſancienda firmius, quæ vt oportet, gerebantur. Tum Synodo ſubſcripſerunt *b* vniuerſi; Euſebius *c* etiam Cæſarienſis, qui *Homouſion* ſuis ad Ceſarienſes litteris, vt a maioribus traditum collaudauit; agente Conſtantino *d* immortales Deo gratias, quod cerneret, ſuccisis diſſidiorum Zizanijs, omnes Orientis, & Occidentis Eccleſias vno fidei vinculo, ac ſpiritu copulatas. Eam ob rem litteris *e* ad Epiſcopos, qui abfuerant, conſcriptis, ad ea, quæ acta fuerant, amplectenda, hortatus eſt; & Ario *f* ſeorſum, per Epiſtolas impietatem, atque amentiam verbis grauiſſimis exprobrauit. Ipſa etiam Synodus, *g* ne quæ geſſerat ab vllo poſſet ignorari, ea omnia luculentis litteris teſtificata eſt. Tandem *h* ad VIII. Kal. ſeptembr. ſoluta Synodo, ſui Conſtantinus Imperij vicennalia *i* cum Epiſcopis, quibus, & magnificentiſſimum inſtruxit conuiuium, celebrauit: ſeque poſtquam ipſorum

pijs

a *Ruf. lib. 1. c. 6. Theod. lib 1. cap. 8.*

b *Iulij Epiſ. apud Ath. Ap. 2*

c *Athan. Epiſt. ad Afros.*

d *Euſeb. lib. 3. de Vita Conſtan. c. 14.*

e *Euſeb. ibid. c. 16.*

f *Epiph. hær. ſ. 69.*

g *Socr. lib. 1. c. 6. Th. l. 1. c. 9*

h *Atticus Conſtant. apud Creſconium.*

i *Euſeb. lib. 3. c. 14.*

piis precibus plurimum commendauit, perhumaniter ſingulos dimiſit, traditis ad Prouiciarum præſides, ac municipales Magiſtratus, litteris, & decretis, vt quotannis frumentarium quoddam *a* vectigal dependeretur Eccleſijs. Antequam autem diſſolueretur Synodus, fidem, & Canones ad Silueſtrum Pont. Max. *b* miſit, qui in Romana ducentorum ſeptuaginta quinque Epiſcoporum Synodo eos confirmauit his verbis: *Silueſter Epiſcopus Sanctæ, & apoſtolicæ Sedis, præſul Vrbis Romæ dixit: Quidquid in Nicęa Bithyniæ conſtitutum eſt ad robur Sanctæ Matris Eccleſiæ catholicæ, & Apoſtolicę a Sanctis Sacerdotibus trecentis decem, & octo, noſtro ore conformiter confirmamus. Omnes, qui auſi fuerint diſſoluere diffinictionem Sancti, & Magni Concilij, quod apud Nicęam congregatum eſt ſub preſentia piiſſimi, ac venerandi principis Conſtantini Auguſti, anathematizamus, &* dixerunt omnes: *Placet*. Deinceps verò aliquot poſt annos, cum Conſtantinus *c* Arium quem reſcipuiſſe falsò audierat, ab exilio reuocaſſet, is Alexandriam primum, inde vero ab Athanaſio eiectus, qui Alexandro ſucceſſerat, Conſtantinopolim contendit: cumque pro eo, vt

a *Theod. vbi ſupra.*

b *Dioniſ. Exiguus in præfat. Concil. Nicæn. quę extat in corpore Canonum & apud Creſceniũ.*

c *Socrat. lib. 1. c. 19. & 25. Sozom. l. 2. c. 26. & 28.*

a in communionem adſciſceretur, Euſebius Nicomedienſis enixè pugnaret, repugnaret autem conſtantiſſimè Alexander Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Deumque magna lacrimarum vi obſecraret, ne lupum inter oues verſari pateretur; Arius dum in Eccleſiam ducitur, aluo laceſſente ſecedere coactus, teterrimo loco male olentem animam diffuſis viſceribus, exhalauit. Longum eſt commemorare quam caſtè, ac religiosè vniuerſi Patres Nicænam Synodum, velut oraculum de cęlo editum venerati ſint. Ad hanc tamquam inuiolabilem legem, ac tribunal Athanaſius *b* vbicumque cum Ario, cum Ariſtęo, cum Euſebio pugnat, conſtantiſſimè prouocat. Hanc Hilarius *c* Pictauenſis Epiſcopus Conſtantio fidei paternæ deſertori exprobrat, & reliquarum Synodorum, quaſi lydium lapidem, ac normam eſſe contendit. Hanc perinde atque Eccleſiæ fluctuãtis anchoram, in Panarijs, & Anchorato prædicat Epiphanius. Ad hanc non aliter, quàm ad arcem, & propugnaculum fidei, Gratianum Auguſtum, a quo in bellum profecturo de fide fuerat interrogatus, deducit *d* Ambroſius. Quid attinet ſingulos recenſere? ipſæ œcumenicę Syno-

a *Athan. orat.* 1. *Contra Arian. Epiph. hæreſ.* 68. *Socrat. & Sozom. vbi ſupra.*

b *In orat. cõtra Ar. & alibi.*

c *In libelli exhibitis Conſtantio, & libris de Synodis.*

d *Libris de fide ad Gratianũ.*

Synodi quidquid acturæ, quidquid diſputaturæ eſſent, principio Nicenæ *a* ſe fidei inhærere velle veſtigijs, profeſſæ ſunt vniuerſæ; vt Magni quidam lapides videantur Nicæno ſuper extructi fundamento. Iam verò huius auguſtiſſimæ Synodi doctrinam Deusquot inſignium doctorum diſputationibus, quot cæleſtibus miraculorum prodigijs, quot ſanctiſſimorum virorum tolerantia, ac Martyrijs illuſtrauit? Gothorum Reges in Italia, & Hiſpania, Vuandalorum in Africa, Conſtantius, & Valens *b* Romanorum Impp. toto terrarum orbe prætores, milites, exercitus, Synodos adhuc prouinciarum, Ariminenſem etiam, ac Seleucienſem ex numeroſiſſimo Epiſcoporum grege conuentum aduerſus Nicęnos Canones, inſtruxerant. Quæ tamen omnia fuerunt illis, non tam hoſtiles ad exitium machinæ, quam ad immortalem gloriam trophæa victoriæ, Deo per hæc teſtificante ſolidiſſima petra nixam, ac fundatam fuiſſe Nicænam fidem, quam tanta fluminum, ventorum, procellarum uis labefactare non popotuit. Apoſtolica denique ſedes huius Cęleſtis theſauri diligentiſſima cuſtos, ſub Iulio, *c* ſub Damaſo, ſub Siricio, & alijs, alterius nullius

Syno-

a *Paſſim hæc habētur in Ruſin. Socrat. Sozom. Theod.*

b *Socr. & Theod. lib. 2. & 4. paſſim. Sozom. lib. 3. & 6. Victor Vticēſis de perſecutione Vādalica, & alij.*

c *In Epiſt. varijs horū Pontif.*

Synodi acriorem ſe probauit propugnatricem, vt nihil eorum, quæ Nicęnis Patribus placuere, violari vnquam, aut reuocari in dubium
a Epiſt.53 paſsa ſit. Itaque ſanctiſſimus Leo *a* primus ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, *Nulla*, inquit, *ſibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem & octo Epiſcopis quantumlibet copioſior numerus Sacerdotum vel comparare ſe audeat, vel præferre, cum tanto diuinitus priuilegio Nicęna ſit Synodus conſecrata, vt ſiue per pauciores, ſiue per plures eccleſiaſtica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate ſit vacuum quidquid ab illorum fuerit conſtitutione diuerſum*. Et Paulò poſt. *Santi illi, & venerabiles Patres, qui in Vrbe Nicæna Sacrilego Ario cum ſua impietate damnato, manſuras vſque in finem mundi leges eccleſiaſticorum Canonum condiderunt, & apud nos, & in toto orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus viuunt, & ſi quid vſquam aliter, quam illi ſtatuerant, præſumitur ſine cunctatione ceſſatur; vt quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter inſtituta ſunt, nulla commutatione varientur*. Et Epiſtola ad Pul-
b Epiſt.55 cheriam: *b Quoniam contra ſtatuta pa-*

paternorum canonum, quæ ante longiſſima ætatis annos in vrbe Nicæna ſpiritualibus ſunt fundata decretis, nihil quidquam audere conceditur; ita vt ſi quis diuerſum aliquid decernere velit, ſe potius minuat, quam illa corrumpat: quæ ſi (vt oportet) a cunctis Pontificibus intemerata ſeruentur, per vniuerſas eccleſias tranquilla erit pax, & firma concordia, nulla de menſuris harum diſſenſiones, nulla de ordinationibus lites, nulla de priuilegijs ambiguitates, nulla erunt de aliena vſurpatione certamina, ſed ea, quæ iure charitatis rationabilis eſt, & morum, & officiorum ſeruabitur vnanimitas. Et in Epiſtola LXVI. *Tanta eſt apud me Nicænorum Canonum reuerentia, vt ea quæ ſunt a ſanctis Patribus conſtituta, nec permiſerim, nec patiar aliqua nouitate violari, &c. Sanctus Gregorius* a *ſicut ſancti Euangelij quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere, & venerari ſe fatetur, Nicænum ſcilicet Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe*, & alibi *b* inquit. *Nos Generales Synodos a Nicæna incipientes, cum reliquis quatuor veneramur, quia ipſam ſequentes in cunctis ſententijs vnanimes concordant.* Finis.

a *Epiſt.* 24 *lib.* 1.

b *Epiſt.* 53 *lib.* 7. *Indiction.* 2.

HISTORIA SANCTI
CONCILII SARDICENSIS,

Quod eſt Synodi Primæ Nicænæ Appendix.

A Chriſto nato anno CCCXLVII.

Iul. I. Sum. Pötif. Cöſtantio, & Cöſtäte Impp. an. XI.

POſt quam Nicæni Patres, quorum auctoritas fuerat orthodoxę fidei clypeus, impiorum terror, ac luctus, Eccleſiarum nexus, & quies, ad capienda certaminum ſuorum præmia è corporis vinculis euocati ſunt plærique omnes; Ariana hęreſis nefario quodam quaſi poſtliminio reuerſa, colligere vires iterum nec parum conualeſcere cæpit, auctoribus *a* Euſebio Nicomedienſi, Theognide Nicæno, Aſterio ſophiſta, Macedonio Conſtantinopolitano, Vrſacio Sigidonenſi in Myſia, Valente Mirſenſi in Pannonia alijſque id genus Arianis Epiſcopis. Freti namque præſidijs tam *b* Conſtantij, qui poſt Conſtantini patris obitum

a *Socr. li. 1 cap. 18. & li. 2. c. 2. & ſeq. Theod. lib. 1. c. 21. 26. & ſeq. & l. 2. c. 3.*

b *Socr. l. 2. c. 2. & ſeq.*

tum toti præerat Orienti ; quam multorum adhuc præſidum, qui militum ſtipati copijs, omnibus erant formidini ; Nicænæ Synodi *a* fidem, quam apertè conuellere non audebant, occultè frequentioribus Concilijs oppugnare conabantur, ſtudebantq; *b* catholicos paſtores minis, vinculis, ſpoliatione bonorum, abdicationibus, exilijs perterrere ; Athanaſium in primis Alexandrinum Epiſcopum, aduerſus quem, vt fortiſſimum Eccleſiæ pugilem, & acerrimum diuini Homouſij propugnatorem, quot inſidias ſtruxerint, non mortuo ſolum, ſed etiam ſuperſtite Conſtantino, longum eſt percenſere. Coacta ad Tyrum *c* Synodo, Arſenij manum ab Athanaſio amputatam ad vſum magicæ artis criminantur : qua fraude, *d* alijſq; reiectis, ab Imperatore per impudentiſſimam extorquent calumniam, vt Athanaſium, quod Alexandrinum frumentum Conſtantinopolim conuehi prohiberet, Treueris in Gallia iubeat exulare : deinde *e* Conſtantini Iunioris litteris Alexandriæ reſtitutum, in Antiocheno rurſus nonaginta Epiſcoporum *f* conuentu, varijs confictis criminibus, eo cum in primis, quòd ſine communi Epiſcoporum

a *Socr. lib. 2. c. 7.*

b *Athan. de Synod. & Epiſt. ad Solit. vit. agen. Socrat. Theodor. vbi ſupra.*

c *Socr. lib. 1. c. 21. Sozom. lib. 2. c. 24.*

d *Socr. lib. 1. cap. 23. Theod. lib. 1. c. 31.*

e *Socrat. lib. 2. c. 2.*

f *Socr. lib. 2. cap. 5. Athan. de Synodis.*

coporum Concilio, reuerſus ab exilio Alexandrinam inuaſiſſet Eccleſiam, per ſummam iniuriam abdicant Epiſcopatu. Athanaſius, *a* & cum eo Paulus, qui e Conſtantinopolitana ſede fuerat pulſus, Marcellus Anciranus, tunc catholicus *b* habitus, Aſclepas Gazeus, Lucius Adrianopolitanus, ceterique Epiſcopi, quos orthodoxæ fidei cauſa ſuis eiecerant ſedibus Ariani ad Romanam Eccleſiam, vt Eccleſiarum omnium matrem, rectæque fidei petram, cui tunc Iulius Pontifex preerat, confugere: quos vt terrerent *c* Ariani datis ad Iulium litteris ex Antiocheno cõciliabulo, obſequium, ac pietatem ſimulant; delatoq; ad eum totius cauſæ iudicio, rogant, vt Synodum alteram, qua veritas accuratius explicetur, indicat. Indixit *d* Iulius, eoſque, miſſis in Orientem Elpidio, & Philoxenio presbiteris, Romæ ad certam diem eſſe iuſſit. Verum ipſi eo decreto *e* perculſi, quod viderent Athanaſium, & ſocios, vt Nicænæ fidei conſtantiſſimos defenſores, in Romanam communionem cooptatos, remque in Vrbe, non ſicariorum manu, quibus confidebant, ſed Epiſcoporum ſententijs decernendam eſſe; excuſant primùm bellorum tu-

a *Athan. Apol. ad Conſt.*

b *Athan. Epiſt. ad Solit. & Epiſ. Concil. Sardic. apud eundẽ apol. 2.*

c *Athan. Ap. 2. Th. lib. 2. c. 4.*

d *Athan. Epiſt. ad ſolit. vita agen.*

e *Athan. vbi ſupra.*

tumultus, deinde *a* præſtituti temporis anguſtias: dumque moras ex mora, & cauſas ex cauſis nectunt, annus, & ſex integri menſes eſluxerunt. Quo toto tempore Iulius, acceptis ab Ægypto varijs *b* litteris, grauiſſimiſque Epiſcoporum teſtimonijs de Athanaſij innocentia, coacto *c* Romæ quinquaginta Epiſcoporum Concilio, & criminibus, quæ falsò Catholicis Epiſcopis obiecta fuerant, palàm reiectis, tàm Athanaſium, quàm ſocios, & ab omni noxia liberos, & dignos, qui ſuas reciperent Eccleſias, tota approbante Synodo, pronunciauit. Grauiter rem tulerunt *d* Ariani, iterumq; ad Antiocheni conuentus latibula regreſſi, litteris contumeliarum plenis, tàm Athanaſium, quàm Iulium ob vſurpatam poteſtatem diſſoluendi, quod ab eorum Synodo conſtitutum fuerat, lacerarunt. Quorum audacia cum in dies ad grauiores ſpectaret tumultus, eo potiſſimum, quod duabus fidei *e* formulis aduerſus Nicænam euulgatis, omnia ſuſq;deq; miſcerent; Iulius vt afflictis rebus conſuleret, negotium ad Conſtantem detulit *f* qui cum Conſtantio fratri, qui in Orientem moderabatur, *g* per litteras, vt Synodus cogeretur, ſuaſiſſet; Pontificis

a *Athan. Apol.2.*

b *Socrat. lib.2.c.13. Soz.l.3.c.9*

c *Athan. Apol.2. & Epiſt. ad Solit. vit. Agent.*

d *Socr.lib. 2.cap.11. Sozom.lib. 3.c.7. Iulius in Epiſt.apud Athan. Apol.2.*

e *Athan. de Synod. Socrat.l.2. c.14.& 15*

f *Sozom. lib.3.c.9.*

g *Thod. lib.2.c.5.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

a *Socrat.* tificis auctoritate (nam *a* de præ-
lib.2.c.16. ſtituti ad Concilium temporis an-
guſtia nonnulli orientales Epiſ-
copi eum criminabantur) Impera-
b *Athan.* torumq; *b* conſenſu apud Sardi-
Apol. 2. cam Ilyrij vrbem, Synodus generalis
c *Socrat.* indicitur, Ruffino *c* iterum, &
lib.2.c.16. Euſebio Coſſ. anno poſt obitum Con-
ſtantini vndecimo. Eò conuenere
d *Athan.* *d* Epiſcopi circiter ducenti octogin-
Ibidem. ta ex Occidente, & ex Oriente
e *Athan.* Septuaginta ſex. Hoſius *e* Archi-
Ibidem. diaconus, & Philoxenius Iulij no-
mine præerant. Adfuit, *f* & Atha-
f *Athan.* naſius cum ſocijs ad crimina, quo-
Ibid. rum poſtulati fuerant, diluenda.
Vetum Orientales Ario pleni, cum
intelligerent rem agendam eſſe ſine
g *Athan.* *g* Muſoniano, Heſychio, & Caſ-
loco citat. tritio, quorum muniti lictoribus,
Epiſcoporum ſolebant obterrere li-
bertatem; diffiſi cauſæ, & ſcelerum
conſcientia conſternati, venturos ſe
h *Socrat.* *h* in Synodi conſpectum, niſi prius
lib.2.c.16. Athanaſio, & ſocijs de medio pul-
Athan. ſis, palàm negarunt. Quod cum
Apol.2. Sardicenſes Patres de innocentibus,
ac ſanctiſſimis viris, iamq; in Ro-
manam communionem receptis,
abnuerent conſtituere, Arianoſq;
iterum, atque iterum commonuiſ-
i *Athan.* ſent, vt e palatio, quo ſe ſe *i* ab-
ad Sol. vit. diderant, prodirent in medium,
Apol.2. flagi-

flagitia, quæ Athanaſio intenderant, probaturi; alioquin ipſos reorum loco habendos eſſe; illi tam incorruptis Iudicum ſubſellijs res ſuas credere non auſi, clam *a* Philippopolim Thraciæ *b* deſugere. Vbi *c* noua fidei formula, velut ad explendum quod Nicænæ deerat, edita, damnarunt Homouſion; aduerſus Athanaſium, & ſocios ſua decreta confirmarunt. Iulio, Hoſio, ceteriſque Athanaſij fauctoribus edixerunt Anathema, & Epiſcopale nomen *d* abrogarunt; quæ omnia quo plus haberent auctoritatis, & ponderis, ad hereticorum dolos conuerſi, tamquam acta, geſtaque in Sardicenſi Synodo, cuius abutebantur nomine, ad Donatum, *e* tunc catholicæ Eccleſiæ infenſiſſimum in Africa, vt ipſum ſuis adiungerent partibus, perſcripſere; tametſi ea fraus haud qnamquam feſellerit Africanos Patres. Nam longo poſt tempore cum Donatiſtæ eo Concilio, quod coactum fuerat ab Arianis in ſuę cauſæ patrocinium vellent abuti, continuò Beatus Auguſtinus èx iniquiſſima Iulij, & Athanaſij condemnatione, quæ tamquam in eo Concilio facta recitabatur, opus ex Ariana officina prodijſſe defendit. Harum rerum indignitate, & ſin-

a *Athan. vbi ſup.*
b *Soc. l. 2. cap.* 16.
c *Athan. Epiſt. ad Antioch.*
d *Sozom. lib. 3. c.* 10.
e *S. Aug. lib. 3. contra Creſc. cap.* 34. *& Epiſt.* 163.

ſingulari Hominum impudentiá commoti Sardicenſes Patres, *a* in eos vt cauſæ deſertores, criminatores piorum omnium, & orthodoxę fidei aduerſarios, iuſtiſſimum anathema conclamant; Stephanum Antiochenum, & Minophantem Epheſinum, Narciſſum Herodiadis, Theodorum Heracleenſem, Acacium Cæſarienſem, Vrſacium, & Valentem ex Epiſcopali gradu dimouent, Gregorium in primis, qui in Alexandrinam Sedem armatis militibus ſeptus irruperat: Athanaſium, & ſocios honorificis Iudicum ſententijs, ac decretis ornatos, ſuarum iterum iubent Eccleſiarum gubernacula capeſſere: Homouſion Nicænamq; doctrinam, vt nullis egentem *b* aſſumentis, ſed numeris omnibus abſolutam religioſiſſimis acclamationibus comprobant, *c* tabellam vero, ac nouam formulam, quam aduerſarij finxerant, & nomine Synodi Sardicenſis ediderant, vt adulterinam, ac ſuppoſititiam abrogant, atque reſcindunt: viginti denique Canones *d* græcè, & latinè in communem Eccleſiæ vtilitatem ſanciunt, omnique quo ordine geſta ſunt, diligenter perſcribunt, primum Iulio Romano Pontifici, ceteriſque Epiſ-

a *Epiſtol. Concil. Sardicenſ. apud Ath. Apol. 2.*

b *Athan. Epiſt. ad Antioch.*

c *Nicol. I. Epiſt. 2. ad Photium.*

d *Apud Athan. Apol. 2.*

Epiſcopis, vt ijs, quos Ariani iniuſtiſſimè vexauerant, ſolatio, ac perfugio eſſent: deinde Alexandrinæ Eccleſiæ, cuius tantopere intererat, quæcumque ad Athanaſij cauſam ſpectabant non ignorare: tum Conſtanti Aguſto, qui mox *a* per litteras egit cum fratre Conſtantio, vt (quod, & ſancta Synodus *b* miſſis ad eum Euphrata Agrippinæ, & Vincentio Capuæ Epiſcopis rogabat) Athanaſio, & ſocijs contra fas, & Ius omne depulſis ſuas reddi Eccleſias imperaret. Atque hic fuit Synodi Sardicenſis exitus. Quoniam autem nihil nouum, quod ad fidem pertineret, in hac Synodo ſancitum fuit, nec *c* nouus fidei articulus explicatus, ſed ea tantum nouis ſuffragijs ſtabilita, ac confirmata, quæ Patres in Nicæna Synodo tradiderant: propterea Synodus Sardicenſis, licet ex toto ferè orbe collecta, ſemper tamquam pars appendixq; Nicæni Concilij fuit habita, cum omnia, quæ de fide fuerunt definita, ad illius decreta ſeruanda referantur. Itaque licet hæc Synodus altera fuerit a Nicæna, tamen quia non nouas ſuſcepit fidei, vel Eccleſiæ cauſas, ſed Nicænæ tantum fidei tutelam, ac patrocinium, &, vt eſt in Concilio

a *Socrat. lib.2.c.18.*

b *Athan. Epiſtol. ad Sol. vitam Agen.*

c *Athan. Epiſtol. ad Antioch.*

a *Actio.*16 cilio Chalcedonenſi. *a* Arianorum reliquias oppugnauit, & quia ipſorum Sardicenſium, & Nicænorum Patrum vna fuit ſententia, vna mens, vnus ſpiritus, ideo Sardicenſe Concilium Nicæni nomine a multis comprehenditur, quemadmodum Vrbs, ac Vrbis propugnaculum vna res cenſeri ſolet, & nominari. Quamobrem *b* Innocentius & *c* Zoſimus Sardicenſes Canones appellant Nicænos, vt ex Concilio ſexto Carthaginenſi apparet. Eamdem item ob cauſam ſanctus *d* Gregorius, Iſidorus, *e* Beda, *f* & alij Patres, cum prima quatuor Concilia enumerant, Sardicenſe, quamuis re vera generale, ſilentio prætereunt, tamquam Nicæno incluſum. Quantam autem hæc Synodus auctoritatem habeat, multis, validiſque rationibus probari poteſt. Primum enim eſſe generalem colligitur, tum ex magna Epiſcoporum frequentia, qui ad eam conuenerunt, vt apparet ex *g* Athanaſio, & alijs, qui Patrum numerum protulerunt, tum quia Iulij Pontificis Maximi auctoritate *h* conuocata fuit, eiuſque Legati eidem præfuerunt. His accedit Conſtantis, & Conſtantij Impp. auctoritas, qui omnem dederunt operam,

b *Epiſt. ad Vict.*
c *Carth.* 6 *c.* 3. *& ſeq.*
d *lib.* 2. *Epiſt.* 10.
e *lib.* 6. *Etym. c.* 16
f *de temp. lib. c.* 65.
g *Apol.* 2.
h *Socrat. lib.* 2. *c.* 16

operam, vt Epiſcopi ex omnibus ferè prouincijs conuenirent. Extat præterea Socratis, & (quod maius eſt) Iuſtiniani Imperatoris teſtimonium, qui in edicto de tribus capitulis hæc verba ſcribit. *Quoniam ex his, quæ in Nicæna ſanctæ Synodo conuenerunt & expoſitæ ab ea fidei definictioni, vel Symbolò ſubſcripſerunt, quoniam poſtea contraire ſapientes apparuerunt, alij quidem viui, alij poſt mortem anathematizati ſunt a Damaſo ſanctæ memoriæ Papa antiquioris Romæ, vel ab vniuerſali Sardicenſi Synodo, prout teſtatur ſanctus Athanaſius.* Hæc Iuſtinianus. Cum autem ipſemet Iulius *a* in Epiſtola ad Alexandrinos ſuam de Athanaſio reſtituendo ſententiam a Synodo approbatam eſſe gratuletur, perſpicuum eſt ab eodem approbatam fuiſſe; præſertim cum Hoſius, & reliqui litteras ad ipſum dederint, eumdemq; *b* rogauerint, vt Concilij ſententiam ſua auctoritate confirmaret. Itaque ſi omnia diligenter perpendantur, exploratum erit, hanc Synodum generalem eſſe, cum nihil ex his, quæ ad Concilium generale pertineant in illa deſiderari poſſit. Apoſtolica etiam ſedes Sardicenſi Concilio ſemper hono-

a *Apud Athan. Apol. 2.*

b *Sozom. lib. 3. c. 11. Nicephor. lib. 9. c. 12.*

tem habuit: nam & in corpore Canonum, quo in primis olim in controuerſijs Eccleſiaſticis dijudicandis vtebatur, Sardicenſes Canones collocauit, & Leo quartus in Epiſtola ad Epiſcopos Britanniæ, per huius Concilij Canones Eccleſiæ diſceptationes diſſoluendas docuit. Gratus etiam Carthaginenſis Epiſcopus in Carthaginenſi primo Concilio idem confirmat, cuius verba hæc ſunt. *Memini in ſanctiſſimo Concilio Sardicenſi ſtatutum, vt nemo alterius plebis hominem vſurpet, ſed ſi fortè erit neceſſarius, petat a collega ſuo, & per conſenſum habeat*; Quod in Sardicenſi Concilio Can. XV. decretum eſt. Et Nicolaus primus in Epiſtola quarta Rhotadi cauſam huius Synodi auctoritate compoſuit; & Epiſtola ad Clerum Conſtantinopolitanum ab omni Eccleſia Sardicenſe Concilium receptum eſſe teſtatur. Finis.

Can. 5.

Ad-

ADNOTATIONES AD Conc. Nicænum, & Sardicenſe.

NIcæa. Huius nominis ciuitates quatuor extitiſſe plures authores dicunt. Prima Nicæa in Gallia, quæ nunc vulgo Niſſa dicitur. Altera Nicæa apud Locros. Tertia in Tracia. Quarta Bithyniæ Metropolis huius ſacroſanti Concilij locus, & receptaculum. Acta Synodi huius ab Arianis paſſim vbique concremabantur; Orthodoxi verò quanto poterant ſtudio illa conſeruabant in ſuis Eccleſijs; quos interfuit Gelaſius Cizicenus Epiſcopus, qui illa è tenebris in lucem tracta ſub Baſiliſco Imperatore publicauit; eadem deinde Alfonſus Piſanus Soc. Ieſu libris quatuor comprahenſa Regi Poloniæ Steffano primo dicauit. Canones verò Synodi huius Franciſcus Turrianus commentarijs ſuis illuſtrauit.

Philippopolis Ciuitas Traciȩ Montis tantumodo Tituris interſtitio à Sardica ſeparatur, ſed illa in poteſtate Conſtantij tum temporis erat, Sardica verò in poteſtate Conſtantis, ad illam itaque Ariani tanquam ad ditionem patroni ſui confugerant, & quidquid ibi moliti ſunt contra orthodoxos, Sardicæ ſe ſcripſiſſe, & conſtituiſſe ſimularunt.

HISTORIA SANCTI CONC.

Primi Conſtantinopolitani, Generalis Secundi.

Damaſ. Pontif. ann. 15. *Theodoſij Imp. ann.* 3. a *Theod. lib.*2.*c.*13.

A Chriſto nato anno CCCLXXXI.

QVarto poſt Sardicenſem Synodum anno, Conſtante *a* Imperatore, cuius principatus orthodoxis paſtoribus axylum ſemper, ac murus fuerat aduerſus Arianos furores, & incurſus, in Gallijs Magnentij dolis extincto, Conſtantius, fratris ſiue beneuolentia, ſiue metu tamquam repagulis ſolutus, & ad ingenium reuerſus, quidquid contra Eccleſiam irarum, velut aquarum æſtuoſo gurgite collegerat inuitus, non magis ſacrilegè, quàm impudenter effudit. Quod nihil attinet alijs explicare verbis, quàm Hilarij *b* Pictauienſis Epiſcopi, qui eius temporis colluuionem, vt fortiſſimè pertulit, ita & inſectatus eſt acerrimè: *Proclamo*, inquit, *tibi Conſtanti*, *quod*

b *Hilar. in lib. cont. Conſtant.*

quod Neroni loquuturus ſuiſſem, quod ex me Decius, & Maximianus audirent; contra Deum pugnas; contra Eccleſiam ſæuis; ſanctos perſequeris; Prædicatores Chriſti odis, Relligionem tollis, Tyrannus non iam humanorum ſed diuinorum. Hæc tibi a me, atque illis ſocia, atque communia ſunt, at vero nunc propria tua accipe. Chriſtianum te mentiris; Chriſti nouus hoſtis es: Antichriſtum prauenis, & arcanorum myſteria eius operaris. Condis fidem, contra fidem viuens: doctor profanorum es, indoctus piorum: Epiſcopatus ſuis donas, bonos malis demutas; Sacerdotes cuſtodiæ mandas, exercitus tuos ad terrorem Eccleſiæ diſponis, Synodos contrahis, & occidentalium fidem ad impietatem compellis; concluſos Vrbe vna minis terres, fame debilitas, hieme conficis, diſſimulatione deprauas: Orientales autem diſſenſiones artifex nutris, blandos elicis, fautores inſtigas, veterum turbator es, profanus nouorum: omnia ſæuiſſima ſine inuidia glorioſarum mortium peragis, nouo, inauditoq; ingenij triumpho de diabolo vincis, & ſine Martyrio perſequeris. Plus crudelitati veſtræ Nero, Deci, Maximiane debemus; diabolum enim per vos vicimus, ſan-

 cti,

tus, vbique Beatorum Martyrum Sanguis exceptus eſt: dum in his Dæmones rugiunt, dum ægritudines depelluntur, dum admirationum opera cernuntur, eleuari ſine laqueis corpora, & ſuſpenſis pede fœminis veſtes non defluerent in faciem, vri ſine ignibus ſpiritus, confiteri ſine interrogantis incremento fidei. At tu omnium crudelitatum crudeliſſime damno maiore in nos, & venia minore deſæuis. Subrepis nomine, blandimento occidis, ſpecie Religionis impietatem peragis; Chriſti fidem, Chriſti mendax prædicator, extinguis. Non relinquis ſaltem miſeris excuſationem, vt æterno Iudici ſuo pænas, & aliquas laniatorum corporum præferant cicatrices, vt infirmitas defendat neceſſitatem. Sceleſtiſſime mortalium omnia perſecutionis mala ita temperas, vt excludas & in peccato veniam, & in confeſſione martyrium. Sed hæc ille pater tuus artifex humanarum mortium docuit, vincere ſine contumacia, iugulare ſine gladio, perſequi ſine infamia, odiſſe ſine ſuſpitione, mentiri ſine intelligentia, profiteri ſine fide, blandiri ſine bonitate, agere quod velis, nec manifeſtare quod velis; Hæc Hilarius. Sic ſæuiente Conſtantio ex Arianæ ſe-

ctæ ſtipite, quam vt Babylonicam arborem Nicæna, ac Sardicenſis ſecuris ſuccidiſſe videbatur, complures rami, tres potiſſimum pullularunt. Quorum primus Macedonius fuit, quem *a* eiecto Paulo Alexandri ſucceſſore, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præfecerat Conſtantius. Is primum nihil aliud, quàm Arium ſapiebat. Verum in Epiſcopatu adminiſtrando non modo apud Catholicos, quos tunc ab Homouſio Homuſianos cognominabant, ob ſummam in eos *b* crudelitatem, ſed etiam apud Arianos Epiſcopos, præſertim Acacium, & Eudoxium, ob immania ſcelera magnam ſibi conflauit inuidiam, ipſi etiam inuiſus Conſtantio, quod eo inſcio Conſtantini Patris oſſa in Eccleſiam Acacij Martiris tranſtuliſſet, idque tanta populi ſeditione, vt occiſorum ciuium ſanguine templi veſtibulum redundaret. Cum verò Eudoxius *c* Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ occulos adieciſſet, Imperatoris abuſus indignatione, Acacianis ipſis adiuuantibus, Macedonio Epiſcopalem adimit dignitatem, ademptam arroganter inuadit. Macedonius rem indignè ferens, ab *d* Acacianis ad Semirianos conuerſus, vt ab eis

Daniel. 4.

a *Socrat. lib.2. c.16. 12. 22.*

b *Sozom. lib. 4. c. 2. 23. 25.*

c *Theod. lib. 2. c. 27.*

d *Nicetas Choniat. lib. 6. Theſaur.*

a *Theod. lib.4. Hæret. fabul. cap. de Macedoni.*

b *Socrat. lib.3. c.8.*

c *Theod. vbi ſupra.*

iniret gratiam *a* Homæuſij vocem cæpit vſurpare, cum ad eam vſque diem in altera Arianorum factione conſtitiſſet, quæ filium Patri non Homæuſion, hoc eſt ſimilis cum illo ſubſtantiæ, ſed homion duntaxat, ideſt ſimilem, Acacio duce contendebat; cuius rei cauſam *b* percunctantibus orthodoxis, Macedoniani per Sophronium Pompeiopolis Paphlagoniæ Epiſcopum, ita reſponderunt: Homæuſion reſpuimus, ne Patris, & Filij hypoſtaſes cum Sabellio confundamus; deteſtamur & eos, qui inter Patrem, & Filium ſubſtantiæ diſſimilitudinem prædicant, nam plus nimio vnum ab altero diuellunt, ac diſtrahunt. Inter hos extremè diſſidentes, mediam nos viam tenemus, filiumque Patri credimus ſimilis eſſe ſubſtantiæ. Hæc illi. Verum elato, ac turgido vir ingenio Macedonius, parum ducens aliena inuenta ſequi, niſi ſectæ alicuius principatum teneret, nouam hæreſim exorſus in *c* Spritum ſanctum furere cæpit, eumque contendebat nihil ad Patris, ac filij diuinitatem, & gloriam pertinere, ex quo Macedoniani, tum Pneumatomachi; hoc eſt ſpiritus ſancti oppugnatores, tum etiam Ceſariani dicti ſunt.

At

At non longe poſt cum Valens *a* Imperator nec Homæuſion pati poſ- poſet; Macedoniani ab eo, plus quam crediddiſſent, vexati, ad Romanam communionem confugere, & per Legatos coram Liberio Pontifice iurarunt in Homæuſiom: tametſi poſtea cum Gratianus *b* Auguſtus ſub ſui principatus initium, liberam fidem populis conceſſiſſet, velut luculentæ ſues, ac rabidæ canes ad lutum, & vomitum reddiere; nam impunitatis occaſione arrepta Epiſcopi Macedoniani Antiochiæ Cariæ congregati, filium non Homæuſiom ſed Homæouſion pronunciarunt. Aliqui *c* tamen eorum rectè de filio ſentiebant, quamuis Spiritus ſancti diuinitatem omnes impugnarent, atque hoc primum tamquam lolium, ex Ariana ſegete perſeminatum eſt.

a *Sozom. lib.6.c.10.*

b *Socrat. lib.5.c.4. Sozom.lib. 3.c.2.*

c *Epiph. hær.74. Auguſt. hæreſ.52.*

Alterum fuit Aetius, qui ob inſignem *d* impietatem ἄθεος dictus, diaconatu initiatus a Georgio *e* Arianorum, & Meletianorum Epiſcopo. De huius autem ruditate, atque inſcientia ita ſcribit Epiphanius: *Hic Aetius etiam ſecundum mundanam doctrinam inerudi-tus erat vſque ad perfectam ſuam ætatem, velut fama refert. Ceterum digreſſus in Alexandriam operam*

d *Socrat. lib.2.c.28.*

e *Epiph. hæreſ.76.*

B 6 *dedit*

dedit Ariſtotelico cuidam philoſopho, ac ſophiſtæ, & cum ſane dialeticas argutias ex illo didiciſſet, nihil aliud cogitauit, quàm quomodo effingeret de Deo Verbo expoſitionem, & hanc rem attentius aggrediebatur a ſummo mane, & perpetuo vſque ad veſperam in hoc deſidens, dico autem in hoc, vt per Geometriam quamdam, & figuras de Deo diceret, & decerneret, docens, ac degens velut ſummus Arianus. Et cum Arij furioſam doctrinam haberet, amplior pernicies euaſit per illorum conuerſationem, & contra filium Dei, & contra Spiritum ſanctum linguam ſuam quotidie exacuit; Hæc Epiphanius. Eamdem vero ſophiſticam, captioſamque argumentandi artem tradidit Eunomio auditori ſuo; qui cum magiſtro eſſet audatior, & ad loquendum proiectior, cauſam dedit, vt eius ſecta Eunomiana cognominaretur. Hi verò, *a* non modo Homouſion, ſed Homæouſion etiam reſpuebant: itaque Heterouſion induxere, hoc eſt Patris filium alterius eſſe ſubſtantiæ docuerant. Eunomius adhuc clarius, inquit, Theodoretus, Filium primam, & eximiam Patris creaturam eſſe dicebat: Spiritum

a *Theod. lib.2.c.27. & 28. & li.4. Fab. hær.cap.de Aectio, & Eunomio.*

ritum autem Sanctum ante alias creaturas eſſe a filio fabricatum. Tametſi de Baptiſmo etiam delirabat: nam illos tantum admittebat, qui iterum baptiſmo initiarentur, quem non iuxta formulam Apoſtolis a Chriſto traditam, in Patris, & Filij, & ſpiritus ſancti nomen, ſed in Chriſti mortem conferebat: aliaque id genus effutijt. Ab ea vero, *a* quam profitebantur, diſſimilitudine inter Patrem, & filium, Aetius, Eunomius, eorumque ſectatores, Anomiani, ſeu Anomæi dicti ſunt; atque hoc ſecundum prodijt ex Arianiſmo portentum cum maximo Eccleſiæ detrimento.

a *Epiph. Hereſ. 76. vbi ſupra.*

Tertium vero ex Ariminenſi *b* conuentu, Valentis, & Vrſatij fraudibus, erupit, qui cum filium Deum ex Deo, & Patri ſimilem, nec creaturam, vt ſunt ceteræ creaturæ, conclamaſſent, Catholicos Epiſcopos fefellere. Sonabant (inquit *c* Hieronymus) verba pietatem, & inter tanta illa præconia nemo venenum inſertum putabat. De Vſiæ vero nomine abijciendo veriſſimilis ratio præbebatur, quia in ſcripturis, aiebant, non inuenitur, & multos ſimpliciores nouitate ſua ſcandalizat, pla-

b *Socrat. lib. 2. c. 29.*

c *In Dial. aduerſus Lucifer.*

placuit auferri, non erat curæ Epiſcopis de vocabulo, cum ſenſus eſſet in tuto. hæc Hieronymus. Hauſit eam peſtem Conſtantius, & mordicus retinuit; Itaque (inquit Theodoretus) legem tulit, quæ prohibebat, vt neque Homouſion, neque Heterouſion auderet aliquis dicere Filium Dei, non enim fas eſſe dicebat Dei ſubſtantiam ſcrutari: In omnibus autem eum Patri ſimilem iuſſit dicere. Neque vero in hac ſimilitudine aſſerenda cum Macedonianis conueniebat: Hi namque aiebant, Filium ſimilem eſſe Dei ſubſtantiæ: ille vero nequaquam ſimilem ſubſtantiæ Dei, vel Deo, ſed Patri: inter quæ quantum interſit, quidam huius ſectæ non ignarus Hilario *a* percuntanti explicuit his verbis. *Dico Filium diſſimilem Deo eſſe, ſimilem Patri poſſe intelligi, quia Pater voluiſſet creaturam iſtiuſmodi creare, quæ ſimilia ſui vellet: & idcirco ſimilem Patri eſſe, quia voluntatis potius eſſet filius, quàm diuinitatis: Diſſimilem autem Deo eſſe, quia neque Deus eſſet, neque ex Deo, ideſt de ſubſtantia Dei, natus eſſet.* Qua inſania dum fureret Conſtantius, ferre non poterat eos, qui vllo modo Vſiæ nomen vſurparent. Ac primum

a *Hilar. lib. contra Conſtant.*

mum in Homouſion draco iſte, vſque adeo deſęuijt, vt perſecutionis cauda tertiam ſtellarum partem traxerit. Deinde nec Heterouſion paſſus, illius inuentores *a* Aetium, & Eunomium abegit in ſolitudinem, vnum quidem Phrygiæ, alterum Panphiliæ; idem facturus & Eudoxio, qui a multis credebatur reuera primus monſtrum iſtud peperiſſe, niſi veritus ille iram Conſtantij, Heterouſij originem in Aetium reieciſſet.

a *Sozom. lib.6. c.26. 27.*

Hæ tres igitur hæreſes, velut emiſſæ ab vna caua feræ, imperante Conſtantio, vineam Domini demoliri, ac perdere non deſinebant; vt interea ſileatur de *b* Photino, quem cum Paulo Samoſatenſi, & Sabellio, ſentientem, Symienſis Synodus condemnauit: & de Apollinari, qui Chriſto Domino carnem aſſingebat e cęlo, atque ex ſinu Patris decerptam, & quidem mentis, ac rationis expertem, nam mentis vices, ac partes Dei Verbum expleuiſſe, & diuinitatem in tribus, mortuam eſſe iactabat. Item de Lucifero Caleritano Epiſcopo, qui exilium fortiter tulit pro Nicæna fide, ſed mox catholicis quibuſdam Epiſcopis ita ſuccenſit, vt ab Eccleſia receſerit; tanti viri

b *Gregor. Nazianz. Epiſt. ad Nectar.*

autum

a *In dial. aduerſus Luciferum.* caſum pie defleuit *a* Hieronymus, & tandem de aliis, qui tam pugnantibus inter ſe placitis, & per breuia interſtitia facile variantibus, inconſutilem Chriſti tunicam lacerabant, vt autore *b* Hilario, facta fuerit fides temporum, non Euangelium. Atque hæ variorum dogmatum peſtes ſub Conſtantio, aut paulo poſt eius exceſſum coortæ, ad Theodoſii vſque principatum longè lateque peruagatæ ſunt. Nam *c* Iulianus, quamuis Epiſcopos a Conſtantio relegatos ad ſuas Eccleſias redire iuſſerit, vt populorum iniret gratiam: de vera tamen religione, quæ tot laborabat modis, non conſtabilienda, ſed euertenda potius cogitabat. Iouianus *d* orthodoxam pietatem colere potius ipſe potuit, quàm ſeptimeſtri Imperio a tot procellis, ac fluctibus vindicare. Valentinianus *e* & ipſe Homouſii fidem incenſis ſtudiis in Occidente tutatus eſt: ſed occidentali Imperio, & gerendo cum Sauromatis bello diſtentus, Orientis gubernacula Valenti fratri Ariano credidit, cuius plus quàm barbaram feritatem Gregorius Nazianzenus, eorum temporum calamitatem cum Baſilio conſtantiſſimè perpeſſus, breuiter perſtrinxit his

b *In li. ad Conſtant. Auguſt.*

c *Hieron. in dial. adu. Luciferum.*

d *Theod. li.4.c.2.3.4*

e *Socrat. lib.4.c.1.*

his, *a* verbis. *Cum illuſtria fuerint prima Valentis facinora, tum verò illuſtriora ea certamina exſtiterunt, quæ poſtrema aduerſum nos habuit. Quænam autem prima dico? Exilia, fugæ, bonorum proſcriptiones, inſidiæ tam apertæ, quàm obſcuræ, verborum illecebræ vbi offerebatur occaſio; vis, vbi verborum blandicijs, efficere nihil poterat. Alij ab Eccleſijs exturbabantur, quicumque ſcilicet fidem orthodoxam, ac noſtratem profitebantur; alij introducebantur, nempe qui peſtiferam, perditamque Imperatoris religionem tenebant, qui impietatis Chirographa exigebant, qui his etiam atrociora ſcribebant. Adde presbiteros in mari deflagrantes, adde impios, & nefarios belli duces, non Perſas ſuperantes, non ſcythas in ditionem redigentes, non aliam quamdam barbaram gentem repurgantes; ſed Eccleſiis bellum inferentes, in altaribus ſaltitantes, & incruenta ſacrificia hominum, & victimarum cruore, fædantes, ac Virginum pudorem per ſummam contumeliam violantes.* Hæc Gregorius.

a *Orat.* 20 *in laudem Baſilij circa med.*

Verum poſtquam Valens victus à Gothis, *b* & combuſtus, meritas ſacrilegiorum ſuorum pænas luit, Gra-

b *Hier. in Chron. Theod. lib.* 4. *c.* 31.

Gratianus Auguſtus Theodoſium ; quo duce patrui cædem vltus, Gothos ad internecionem profligarat, Imperij Collegam *a* adſciuit, totique præfecit Orienti. Is Homouſianæ fidei religioſiſſimus cultor, Theſſalonicæ *b* baptizatus, publicè cauit Edicto, *c* vt vniuerſæ gentes in eam fidem, quam de Patris, & Filij, & ſpiritus ſancti, vna diuinitate ab Apoſtolo Petro Romanis traditam, Damaſus Pontifex prædicabat, ſublatis diſſidijs, & quæ in foro haberi ſolebant ea de re, diſceptationibus, conuenirent. Mox Conſtantinopolim profectus, vt æcumenici *d* Concilii præſidio damnatis hæreſibus in vnam, rectamque fidem conſociaret Eccleſias, centum, & quinquaginta *e* catholicæ communionis Epiſcopos, Eucherio, & Synagrio Coſſ. euocauit, non ſine Damaſi Summi Pontificis auctoritate, quod tum ex antiquis Romanæ Eccleſiæ monumentis colligere licet, tum ex his, quę in Concilio Chalcedonenſi, actione prima contra Dioſcorum obiecta fuerant, his verbis: *Synodum auſus eſt facere ſine auctoritate ſedis Apoſtolicæ, quod numquam licuit, numquam factum eſt*: tum etiam, quod ipſemet Damaſus teſtatur

a *Sozom. lib.7. c.2.*

b *Orat. li. 5. cap. 6.*

c *L. 1. C. de Sum. Trinit. & fid. Cath.*

d *Theod. lib.5. c. 8.*

e *Marcellin Comeſ. in Chron.*

a teſtatur *nullius eſſe momenti decreta eius Synodi, cui ipſe aſſenſum non præbuiſſet; cum Eccleſiaſticus* b *canon prohibuerit*, ne abſque Romani Pontificis auctoritate Eccleſijs decreta Sancirentur. Inter multos vero eximiæ probitatis viros, qui huic Synodo interfuerunt, numerantur in primis Helladius *c* Cęſarienſis Epiſcopus, Baſilij magni ſucceſſor, Pelagius *d* Laudicenſis, quem ob Nicænam fidem Valens in Arabiæ ſaltus relegarat. Amphilochius *e* Iconij in Lycaonia Epiſcopus, qui annos non paucos in ſolitudine transegerat, Baſilii, & Gregorii *f* ſocius: Martyrius *g* Epiſcopus Marcianopolitanus; Cyrillus Hieroſolymitanus, qui multis conflictatus ærumnis ob Homouſij fidem, egregias cum Arianis obierit dimicationes. Gelaſius *h* Cęſareæ Paleſtinæ Epiſcopus morum, ſcientiæque fama clariſſimus: Acholius *i* Theſſalonicenſis, qui Theodoſium per baptiſmi gratiam Chriſto regenerauit, vtque Iſidorum *k* Tyrium, Eulogium *l* Edeſcenum, aliosque Imperiali ſanctione *m* commendatos, prætereamus, tres claruere pręcęteris: Vnus fuit Gregorius Nyſſænus magni Baſilij frater, eidemq; non magis conſanguinitate,

a *Neod. li. 2. c. 22.*
b *Socrat. lib. 2. c. 5. & 13.*
c *Theod. lib. 5. c. 8.*
d *Ijdem ibidem.*
e *Theod. lib. 4. c. 12.*
f *Sozom. vbi ſupra.*
g *Gregor. Niſſen. Epiſ. 12. 13*
h *Sozom. ibid.*
i *Socrat. lib. 5. c. 8. Theod. lib. 5. c. 8.*
k *Theod. ibid.*
l *Socr. l. 5.*
m *Theod. ibid.*

nitate, quàm eximiæ pietatis do-
ctrinæque laude coniunctus: alter
a fuit Meletius Antiochenus, admi-
rabili vir ſanctitate, quæ ſub Va-
lentis tyrannide erumnis, exilio,
varijs etiam catholicorum conten-
tionibus, crebriſque miraculis illu-
ſtrata reſplenduit. Illum Theodoſius
adhuc priuatus cum vidiſſet in ſom-
nijs, paludamento, & corona, In
ſignibus Imperii, ab eo donari vi-
ſus eſt. Itaque cum ex ſpecie, quàm
animo retinebat, eum agnouiſſet in
Concilio, mirifice recreatus, ho-
norifico ſanctiſſimi viri complexu,
vix expleri poſſe videbatur: Tertius
fuit Sanctus Gregorius Nazianzenus,
clariſſimum Eccleſiæ lumen, qui *b*
cum Conſtantinopolitanam Eccle-
ſiam à Macedonio, Eudoxio, De-
mophilo Arianis Epiſcopis, quorum
vnus alteri ſucceſſerat, quadraginta
circiter annis labefactatam, variiſq;
errorum fluctibus æſtuantem, cerne-
ret, Orthoxorum Epiſcoporum ſtu-
diis, ac ſuffragiis incitatus, ad eam
regendam, ac denſiſſimis frutetis,
& vepribus, quæ Apoſtolicam ſe-
mentem penè oppreſſerant expur-
gandam, acceſſit. Docebat tunc
Gregorius in Eccleſia *c* perexigua,
ad quam poſtea Impp. pietatis ſtu-
dio accenſi ampliſſimum templum,
Ana-

a Gregor. Nazian. de Carm. in vita ſua.

b Gregor. Preſbit. in vita Greg. Nazian.

c Socrat. lib. 5. ibid. lib. 7. c. 5.

Anaſtaſiam nomine , adiecerunt ; quod in eo loco Nicæni Concilii fides , hominum improbitate collapſa , reuixerit. Diuturnis autem laboribus exantlatis , multos paſſus Arianorum conflictus , tandem ne Catholicorum quidem effugit inuidiam. Egiptii *a* namque Epiſcopi Maximum Philoſophum Cynicum, poſtea Apollinaris præſtigiis obcæcatum , cuius fuerant corrupti pecuniis, in illius locum tumultuariis ſuffragiis ſuffecerunt. Ceſſiſſet ſtatim Gregorius , & in optatiſſimam quietem lubenti animo rediiſſet , niſi piorum precibus ferè inuitus detentus fuiſſet. Quin etiam non multo poſt Meletius, ceterique Epiſcopi, qui ad Generale Concilium hanc etiam ob cauſam conuocati fuerant , vt Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſedatis tumultibus, pacem conciliarent, cum probe noſcent quam legitime Gregorius eam Eccleſiam ſuſcepiſſet, & quam ſalutaribus præceptis , & inſtitutis informaſſet regiam ciuitatem in tot hereticorum procellas fluctuantem ; Maximo *b* Cynico è ſacris ædibus exturbato, eiuſque actis omnibus abrogatis ; illum in ſuſcepto regimine confir-

a *Gregor. Nazian. In carm. de vita ſua.*

vbi ſupra.

b *Concil. Conſtant. Can.6.*

confir-

confirmarunt. Sed paulo poſt mortuo Meletio, & a Gregorio Nyſſeno funebri oratione *a* laudato, cum videret Gregorius furere magis in dies Ægyptios, habita oratione ad centum quinquaginta Patres, ſponte dimiſſionis libellum petijt & ſe Epiſcopale munere abdicauit. Subſtitutus *b* in eius locum fuit tam Imperatoris ſtudio, quam vniuerſæ Synodi ſententia Nectarius Tarſenſis, illuſtri loco natus, Senatorij ordinis, tum etiam Prętor, ætate grauis, & honeſtiſſimis moribus. In eam vero electionem tam concordibus animis itum eſt ab Epiſcopis, qui grauiter antea diſſidebant, vt eum locum, in quo rebus pax reddita fuit, Concordiam *c* nominarint. Maximo itaque eiecto, mox Concilij Patres ad Eccleſiam, varijs hæreſum laqueis extricandam, animum adiecere. Aduocauerat autem in Synodum Theodoſius Epiſcopos etiam Macedonios *d* numero triginta ſex duce Eleuſio Cyziceno, quod fututum ſperaret, vt pro ea, quam cum Liberio ſocietatem inierat, in Homouſion conuenirent, quod cum illi numquam ſe admiſſuros profeſſi palam eſſent, è Synodo receſſere; Patres verò poſt legitimas de ortho-

a *In funere Meletij.*

b *Sozom. lib. 7. c. 8.*

c *Damaſum lib. 3. de Imaginibus.*

d *Sozom. lib. 7. c. 7.*

orthodoxis dogmatibus diſputationes, Eudoxianis, *a* Eunomianis, Macedonianis, Pneumatomachis, Sabellianis, Marcellianis, Photinianis, Apollinariſtis anathema dixerunt, editaque fidei formula, quam Gregorius *b* Nyſſænus Synodi auctoritate conſcripſit, non ſolum Patris, & Filij, ſed & ſpiritus ſancti gloriam vnam, maieſtatem parem, indiuiſam ſanxere ſubſtantiam. Qua fide ſanctiſſimè explicata, & nonnullis *c* decretis, quæ ad Eccleſiæ pacem, & Epiſcoporum concordiam ſpectare videbantur, adiectis, domum rediere. Imperator *d* autem ſeueriſſimis cauit legibus, vt quicumque a Nicæno, Conſtantinopolitanoque Symbolo diſſentirent, Epiſcopatibus ſpoliarentur; nec modo non proueherentur ad alios, Sed ab Eccleſijs, ab Vrbium mœnibus, ab hominum conſortio pellerentur. Qua *e* de cauſa cum per ciuitates tumultuarent hæretici, apertiſque odijs, ac ſeditionibus omnia permiſcerent, Theodoſius in Eccleſiæ pacem reſarciendam intentiſſimus, acceptis a Damaſo litteris, quibus Orientales Epiſcopos ad Romanam Synodum ex toto orbe terrarum agendam *f* inuitabat, ſuæ di-

a *Can.* 1.

b *Niceph. li.* 12. *c.* 13.

c *Theod. lib.* 5. *c.* 8.

d *C. Theo. li.* 16. *tit.* 1.

e *Socr. lib.* 5. *cap.* 18.

f *Theod. Iſidem.*

ditionis Epiſcopos, cuiuſcumque religionis, ac ſectæ forent, iterum Conſtantinopolim conuenire iuſſit. Vbi conuenere, ex Nectarij *a* conſilio interrogat Arianos, Eunomianos, Macedonianos, velint ne acquieſcere ſanctis Eccleſiæ doctoribus, qui antequam eorum hæreſes erumperent, de recta in Deum fidem diſputarant? Collaudant aliqui Imperatoris conſilium, ac mentem, improbant alij, non tam veterum doctrina Patrum, quàm dialecticorum captionibus, laqueiſque conſiſi: dumque inter ſe litigant, atque altercantur, imperat Theodoſius ſectarum principibus, vt ſuam ſinguli fidem referant in libellos: quibus ſtata diè acceptis, ac perlectis, diuinæ ſapientiæ lucem in re tam ardua ſuppliciter implorat: reliquis tandem damnatis, ac palam concerptis libellis, Homouſianam fidem, vt optimam, atque Apoſtolicam comprobat. Conſternati diſcedunt hæretici, a ſuis etiam exagitati clientibus ob mutuam inter ſe ipſos diſſenſionem, quæ eorum cauſam deſpicabilem fecerat, & malæ ſuſpicionis.

a *Sozom. lib. 7. c. 12.*

Hic Romanam profectionem ex Damaſi *b* præſcripto Epiſcopis denunciat Imperator. Illi cum greges ſuos,

b *Theod. lib. 5. c. 9.*

ſuos, præſentim quos ab Arianis tenebris, & voragine nuperrimè liberarant, inter tot hæreticorum turbas, atque inſidias deſerendos eſſe non putarent, tres Epiſcopos, Cyſinum, Euſebium, Priſcianum Legatos Damaſo miſerunt cum Synodicis litteris, quibus, & cauſſas, cur ad Vrbem vocati non adiiſſent, explicarunt, & Æcumenicæ Synodi, quam anno ſuperiore Conſtantinopoli celebrarant, acta Romano Pontifici recognoſcenda obtulere, quæ *a* ab eo confirmata ſunt; quo ex tempore ea, tamquam per Apoſtolicam ſedem approbata, ſummæ ſemper venerationi fuere. Itaque in Concilio Chalcedonenſi act. IV. Paſchaſinus, Lucentius, & Bonifacius Apoſtolici Legati nomine Leonis Papæ regulam fidei a Nicænis, & Conſtantinopolitanis, & Epheſinis Patribus expoſitam, palàm profitentur, quibus, tota Synodus aſſenſit. Item in act. V. Sic habetur: *Definimus igitur ordinem, & omnes formulas cuſtodientes, quæ de fide ſunt conſtitutæ, & nos Synodo, quondam in Epheſo facta, cuius præſides fuerunt Sanctiſſimæ memoriæ Cæleſtinus Romanorum, & Cyrillus Alexandrinorum, præfulgere quidem recta,*

a *Photius Epiſt. ad Michael. Bulgar. de ſeptem Synod. c. 2.*

& immaculatæ fidei expoſitionem Sanctorum, & beatiſſimorum trecentorum decem, & octo Patrum, qui in Nicææ temporibus piæ memoriæ Conſtantini Imperatoris congregati ſunt; ſeruari autem & ea, quæ apud Conſtantinopolim a ſanctis centum quinquaginta Patribus decreta ſunt, ad expellendas quidem omnes germinantes hæreſes, & ad confirmationem eiuſdem Catholicæ, & Apoſtolicæ noſtræ fidei. Atque hæ duæ Actiones Chalcedonenſes referuntur, & approbantur in Synodo V. Conſtantinopolitana, collatione VI. vbi, & bis Symbolum decantatur, Semel iuxtà formam Nicænam, iterum, iuxtà Conſtantinopolitanam explicationem. Ad hæc in Lateranenſi Concilio ſub Martino primo, Conſult. IV. Cōſtantinopolitanum Symbolum principio recitatur, tamquam fidei fundamentum, qui mos, ac ritus ad poſteriores Synodos manauit. Sed, & Concilium Toletanum tertium Can. II. *Pro reuerentia*, inquit, *ſanctiſſimæ fidei, & propter corroborandas hominum inualidas mentes, conſultu piiſſimi, & glorioſiſſimi Recaredi Regis, conſtituit Synodus, vt per omnes Eccleſias Hiſpaniæ, &*

Gallecia ſecundum formam Orientalium Eccleſiarum, Concilij Conſtantinopolitani, hoc eſt, centum quinquaginta Epiſcoporum Symbolum fidei recitetur, & priuſquam Dominica dicatur oratio, voce clara populo prædicetur; quo, & fides vera manifeſtum teſtimonium habeat, & ad Chriſti corpus, & Sanguinem prælibandum, pectora populorum fide purificata accedant. Romani etiam Pontifices in fidei profeſſione inter Æcumenicas Synodos Conſtantinopolitanam ſecundo loco ſemper reponunt, quo in genere ſanctus Gregorius *a* ait: *Præterea, quia corde creditur ad Iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem; ſicut ſancti Euangelij quattuor libros, ſic quattuor Concilia ſuſcipere, & venerari me fateor; Nicænum ſcilicet, in quo peruerſum Arij dogma deſtruitur. Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomij, & Macedonij error conuincitur; Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorij Impietas iudicatur; Chalcedonenſe verò, in quo Eutychetis, Dioſcorique prauitas reprobatur tota deuotione complector, integerrima approbatione cuſtodio, quia in his velut in quadrato lapide ſanctæ fidei ſtructura*

a *Lib. 1. Epiſt. 24.*

conſurgit. Atque hæc de fide, & Symbolo Conſtantinopolitano dicta ſint; nam Canonum longè alia ratio eſt. *Romana autem Eccleſia* (inquit ſanctus *a* Gregorius) *eoſdem Canones, vel geſta Synodi illius hactenus non habet, nec accepit: in hoc autem eamdem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum*. Reliquas vero hæreſes, quæ illic memoratæ ſunt ab alijs iam Patribus damnatas reprobat. Ea verò diuerſitas accidit in primis ob quintum Canonem, qui huic Concilio communiter adſcribitur, in quo aduerſus Nicænam ſanctionem Conſtantinopolitano Epiſcopo ſecundus a Romano Pontifice locus, & honor defertur, id quod impugnant accerrimè Leo *b* primus, Nicolaus *c* primus, Leo *d* nonus, tametſi poſtea Canon ille Conſtantinopolitanus vſu quodam, & tacito Romanæ ſedis conſenſu confirmatus, & ab Innocentio *e* tertio renouatus fuerit in Lateranenſi Concilio. Finis.

a Lib.6. Epiſt.31.

b Epiſt.51 ad Anatolium. Epiſt.52. ad Martianum.& Epiſt. 53. ad Pulch.

c Epiſt.ad Michael. Imperat.

d Epiſt.ad Michael.

e c.ãtiqua de priuilg.

HIS-

HISTORIA SANCTI CONC. EPHESINI

Generalis Tertij.

A Christo nato anno CCCCXXXI.

Caleſt. Papp. I. Theodoſij Iuniun. & Valentiniani. Impp.

SVcceſſerat in *a* Conſtantinopolitana ſede Nectario Sãctus Ioannes Chriſoſtomus; Chriſoſtomo Arſacius Nectarij frater; Arſacio Atticus; Attico Siſinnius. Poſt cuius obitum Theodoſius Iunior Auguſtus Theodoſij ſenioris nepos, & Arcadij filius, aduerſis pugnantium ciuium ſtudijs offenſus, non ex Conſtantinopolitana, ſed ex Antiochena Eccleſia adſciſcendum Epiſcopum putauit Neſtorium *b* nomine, Germaniciæ natum, dicendi quidem facultate præditum, a forenſi tamen *c* ſtrepitu alienum, qui plebei veſtitus ruditate, inceſſus, ac ſupercilij grauitate, oris pallore, ac macie, cum continentiæ, pietatis, ac veteris diſciplinæ mentiretur imaginem, Magno omnium conſenſu Con-

a *Socrat. lib. 6. c. 17. & 18. lib. 7. c. 26. & 29.*

b *Socrat. lib. 7. c. 29.*

c *Theod. lib. 3. de fabul. hæret. cap. vlt.*

ſtantinopolim accerſitus IV. Idus Aprilis, Felice, & Tauro Coſſ. Epiſcopus initiatus eſt. Duxerat ſecum Antiochia *a* Anaſtaſium presbiterum, fidiſſimum comitem, quo admodum familiariter vtebatur. Is Presbiter *b* cum aliquando verba faceret ad popolum, in tantum ſcelus erupit, vt Beatam Mariam Θεοτόκον, hoc eſt Deiparam vocandam eſſe impudentiſſimè negauerit, propterea quod ab homine Deus naſci non poſſet. Excitauit impia vox magnos populi tumultus, ac turbas. Neſtorius autem ſuum presbiterum tantæ ſeditionis auctorem, viro alioquin anathemate, & vltimo dignum ſupplicio, aduocata concione magnificè collaudauit: vtque ſacrilegia ſacrilegijs obfirmaret, ſublato Deiparæ nomine, Chriſtum Dominum *c* in duas diſtraxit hypoſtaſes, ac perſonas; in eoq; aſſeruit ſicut naturas duas, ita & filios duos, & Chriſtos duos; Vnum quidem Deum ex Patre Deo, hominem alterum ex Matre, quam idcirco non Theotocon, ſed Chriſtotocon appellabat.

Sed & Dorotheus *d* quidam Epiſcopus ſpe ſordidi quæſtus religionem prodidit, nam in Eccleſia coram

a *Socrat. lib. 7. c. 32. & Liberat. c. 4.*

b *Socrat. & Liberat. vbi ſup.*

c *Vincent. Liſinen. c. 17.*

d *Part. 1. c. 10. & 22*

ram. Neſtorio ſacris operante, cum in editiorem Cathedram irrupiſſet, ex ea repentè omnibus, qui Deiparæ vocem vſurparent, *Anathema* conclamauit. Facinus *a* comprobat Neſtorius, impiumq; impius Sacrorum Myſteriorum communione dignatur. Attollitur *b* continuò irati populi clamor, ac fremitus aduerſus Epiſcopum; obſtrepitur docenti, decurritur per vrbem magno tumultu, ab nefarij hominis conſortio ſeceſſio fit, non modo plebis, & Senatus, ſed Monachorum quoque, & eorum, qui Archimandritæ dicebantur; mæſtis demum vocibus *c* inclamatur per vicos; eſſe quidem in Vrbe Regulum, Epiſcopum non eſſe. Quas ob cauſas ira, ac metu furere Neſtorius; rapere, quos poſſet ad Iudicum tribunalia; clericos *d* rectè ſentientes ab aris, ac focis auellere, vexare fame, vinculis, calcibus *e* Archimandritas. Vulgantur *f* interea per Orientem deſcriptæ Neſtorij Conciones, ſanie, ac veneno difluentes: fremunt aduerſus eas orthodoxæ plebes, & Antiſtites, Cirillus *g* in primis Alexandrinus Epiſcopus, vir omni ſapientia, & ſanctitatis exemplo clariſſimus; quem difficillimo ſanè tempore

a *Part.* 1. *c.* 10.
b *Part.* 1. *c.* 14.
c *Part.* 1. *c.* 29.
d *Part.* 1. *c.* 14.
e *Part.* 1. *c.* 29.
f *Part.* 1. *c.* 14.
g *Proſper contra collatorem, c.* 41.

pore Deus, & Apoſtolicæ fidei propugnatorem, & Neſtorii Antagoniſtam acerrimum compararat. Is
a Part. 1. *c.* 2. & 14. primum Ægipti Monachos *a* per litteras de Neſtorio docuit, eiuſque deteſtabilem væcordiam, prout par erat, detexit: deindecum Neſtorianum malum magis, ac magis inualeſceret pullulantem hæreſim doctiſſimè confutauit libris tribus ad Theodoſium, & ad Reginas, hoc eſt Pulcheriam, & Eudociam miſſis: tametſi ſecus quàm oportuit eam rem interpretatus Imperator, ſuadente Neſtorio, illum acerbioribus, quàm decuit litteris perſtrinxerit. Dedit, & alijs alias eodem argumento Epiſtolas Cirillus, quæ piorum hominum ſtudio cum perlatæ ad Neſtorium fuiſſent, is grauiter offenſus, ſanctiſſimi viri exiſtimationem cæpit criminationibus, ac probris attrociſſimis violare. Illum contra Cirillus crebrioribus litteris ad ſaniorem mentem hortari; & quam longe ab Apoſtolicis traditionibus receſſiſſet, edocere. Calcitrabat contra ſtimulum Neſtorius, & hortatorem ſuum quaſi inſolentem, & indoctum per Epiſtolas conuitiis impetebat. Verum nec Conſtãtinopolitanis finibus contentus homo nequiſſimus, Roma-

manorum etiam aures auſus eſt pertentare. Miſit itaque per Antiochū virum illuſtrem Cæleſtino Romano Epiſcopo impias, quas Conſtantinopoli habuerat, conciones. Cirillus quoque ſuas ad Neſtorium, & Neſtorii ad ipſum vltrò citròq; datas litteras per Poſſidonium Alexandrinæ Eccleſiæ diaconum eidem Cæleſtino miſit. Qui ſtatim coacta Romæ multorum *a* Epiſcoporum Synodo, cum nefarii hominis mentem, ſenſumq; ſolerter inſpexiſſet, ſacro approbante Concilio *b* exitialem hæreſim damnat. Deindè ſeueriſſimas execrationes, & Epiſcopalis abrogationem honoris denunciat Neſtorio, niſi intra decem dies conſceleratam, quam inuexerat, ſectam publicis teſtificationibus eiuraret: reſtituitq; in priſtinum gradum quos ille, vel ab Eccleſiæ communione, vel a ſacris functionibus abſtraxerat. Tum per litteras primariis *c* Orientis Epiſcopis Catholicæ fidei patrocinium aduerſus Neſtorianos furores grauiſſimis verbis commendat, Cyrillo *d* in primis, cui ſuas etiam partes, viceſq; demandat, vt Apoſtolicæ ſedis nomine ſententiam contra Neſtorium (niſi intra legitimum tempus facti pæniteat) euulget

a *Part.* 1. *c.* 26.

b *Part.* 1. *c.* 15. & 18

c *Part.* 1. *c.* 20.

d *Part.* 1. *c.* 15.

get atque exequatur; peſtilentemq; hominem a fidelium communione depellat: qua de re Conſtantinopolitanum etiam populum Cæleſtinus *a* docuerat per Epiſtolam. Cyrillus, quò ſuo officio ſatisfaceret, plures Epiſtolas de fidei veritate, & Neſtorij cauſa, vnà cum mandatis Cæleſtini ad Ioannem *b* Antiochenum, Iuuenalem Hieroſolymitanum, & Acacium Bernenſem tranſmiſit: & vt conſultius ageret, Alexandrinam *c* Synodum coegit, & quattuor Epiſcopos miſit, *d* qui Neſtorium coràm commonefacerent, eique inſignem Synodi *e* Epiſtolam deferrent, duodecim capita, qui ab anathemate aduerſus hæreticos, Anathematiſmi dicti ſint, complectentem. Spreuit omnia Neſtorius: rogantibus Epiſcopis ne aditum *f* quidem præbuit: Anathematiſmo *g* Anathematiſmis oppoſuit: Monachos, qui conſilijs ipſius obſiſtebant infenſius, adegit in cuſtodias, *h* ac tormenta, ſed in cęteros quacumque potuit ferocia, & crudelitate deſæuijt. At Cyrillus cum ipſius Neſtorij reſcipiſcentiam ſibi in primis ante occulos proponeret, Synodum generalem neceſſariam eſſe putauit: ſtatimq; vt dictum eſt, præcipuas Orientis Eccleſias,

a *Part.* 1. *c.* 19.
b *Part.* 1. *c.* 21. 22. *&* 24.
c *Part.* 1. *c.* 26. *&* 27
d *Actor.* 1 *ante med.*
e *Part.* 1. *c.* 26.
f *Actor.* 1. *ante med.*
g *Part.* 1. *c.* 19.
h *Part.* 1. *c.* 30.

Eccleſias, earumque Antiſtites litteris perurgere inſtituit, vt communicatis conſilijs, cogitarent de Neſtorio vel ad meliorem frugem reuocando, vel, ſi res ita ferat, ab Eccleſiæ membris reſecando, iuxta Cæleſtini decretum, is enim Pontificis auctoritatem, veluti maximum huius cauſæ pugionem, & clypeum, inculcabat omnibus, quibus ſcribebat, Epiſcopis, Iuuenali Hieroſolymitano, Acacio Beroenſi, & Ioanni Antiocheno, quem præter alios affatur his a verbis: *Porrò autem expoſitionibus Neſtorij, eiuſdemq; Epiſtolis, & ijs præcipuè, in quibus quòd apertam ipſius ſubſcriptionem præſeferrent, nullus tergiuerſandi locus reliquus erat, palàm lectis, Sacra Romana Synodus diſertam ſtatim in illum ſententiam tulit. Qua de re, & ad tuam quoque pietatem perſcripſit. Horum proinde decreto modis omnibus parendum eſt illis, qui a totius Occidentis communione excidere noluerint.* Scripſerunt namq; expoſitæ ſententiæ exempla cum ad Ruffum piiſſimũ Theſſalonicę Epiſcopum, tum ad alios quoque nonnullos religioſiſſimos Macedoniæ Epiſcopos, qui ab illius ſententia non temerè decedere ſolent. Scri-

a *Part.* 1. *cap.* 21.

pſerunt nihilo ſecius & ad Iuuenalem quoque pijſſimum Hieroſolymorum Epiſcopum. *Iam tuæ pietatis fuerit, diligenter quid in rem futurum ſit expedire. Nos enim, quæ illi indicauerunt, ſequi omnino conſtituimus. Veremur namq; ne à tantorum virorum communione excidamus, qui non leui de cauſa indignantur; neque ob parui momenti res hos motus excitarunt, eamque ſententiam tulerunt, ſed propter ipſam fidem, vniuerſaſque Orbis terrarum Eccleſias, & communem populi ædificationem.*

Hæc autem tam vehemens Cyrilli exortatio ad parendum Cæleſtino, non aliò ſane ſpectabat, quàm ad implorandum Epiſcoporum conuentum, & Synodum, quæ de Neſtorio cognoſceret, de hac enim diſertè Cæleſtinus a Ioanni ſcripſerat his verbis: *Sciat nihilominus Sanctitas tua eiuſmodi a Nobis, vel ab ipſo verius Chriſto Domino, ac Deo noſtro per nos ſententiam in Neſtorium latam eſſe, videlicet quod niſi intra dies decem poſt acceptam admonitionis noſtræ Syngrapham enumerandos, Sacrilegam de Chriſti ortu doctrinam ſcripta confeſſione damnauerit,*

a *Part.* 1. *cap.*20.

uerit, eamque fidem in poſterum ſe ſectaturum promiſerit, quam & Romanorum, & Alexandrinorum, & vniuerſa profitetur, & ſeruat Eccleſia, certò fore, vt ab Epiſcoporum Synodo exauctoretur, proprioque exitio ſe læſum eſſe experiatur. Ac propterea in Epiſtola, *a* quam ad ipſum Concilium Epheſinum per Archadium, & Proiectum Epiſcopos, & Philippum presbiterum Legatos ſuos Cæleſtinus dedit, manifeſto declarat, quanta cum eius voluntate, aut voluptate potius ad eam Synodum celebrandam conuentum fuerit. Non immeritò igitur Firmus *b* Cæſareę Cappadociæ, & Iuuenalis Hieroſolymorum Epiſcopi pàlam in Epheſina Synodo Legatis Apoſtolicis profitentur, ipſam Synodum ſecutam id, quod præſcripſerat Cæleſtinus, eiuſq; auctoritate compulſam de Neſtorij dogmate, & abdicatione exercuiſſe iudicium.

a *Act. 2.*

b *Act. 2. in fin.*

His expoſitis planum fit Orientalibus Epiſcopis ſatis perſpectum, compertumque fuiſſe, iuſſiſſe Cæleſtinum, vt quod ipſe de Neſtorio decreuerat, id rurſus ipſi ſancirent, & exequerentur in Synodo. Verum quoniam plurima, quæ ad Synodum tam auſpicandam, quam

ad

ad optatos exitus promouendam ; pertinebant , vix perfici poterant ſine Imperatoris auctoritate ; quocirca moris erat his in rebus Imperatoriæ Maieſtatis implorare præſidium ; ideo *a* Cyrillus Hieroſolymorum Epiſcopum monet, seriò cum Imperatore agendum eſſe , vt ad Neſtorianos fluctus , quibus agitabatur Orbis terrarum , ſedandos ſuam opem , poteſtatemque conferret . Scribit & *b* Conſtantinopolitanis , qui cum ipſo ſentiebant , ſi Neſtorius amicorum monitis non acquieſcat , rem ad Concilij Tribunal oportere deduci. Quibus litteris , & quotidianis , quibus à Neſtorio vexabantur iniurijs , commoti Baſilius diaconus , & vniuerſus Monachorum ordo , qui degebant Cõſtantinopoli , enixè Theodoſio *c* ſupplicarunt , vt ad reſtituendum Eccleſiarum , quas Neſtorius diſcindebat , nexum , & pacem , ad Synodum Epiſcopos conuocaret . Quibus rebus adductus Imperator Theodoſius, ipſomet XIII. & Valentiniano III. Coſſ. XIII. Kal. Decemb. per litteras Cyrillo, *d* cęteriſque Metropolitanis Generale Concilium , ad ſeqnentis anni Pentecoſtem , Epheſi celebrandum, denunciat.

a *Part.* 1. *cap.* 14.

b *Part:* 1. *cap.* 12.

c *Part.* 1. *cap.* 29.

d *Part.* 1. *c.* 30. *&* 31

Eò

Eò ſtatim poſt Paſchales fer.as conuolat Neſtorius, magna popu-li frequentia ſtipatus. Paulopôſt, cum inſtaret ſolemnitas Penteco-ſtes, adfuit, & Cyrillus cultu, apparatuq; *a* Pontificio, quippe Cæleſtini iuſſu, & Apoſtolicæ ſe-dis auctoritate Synodo præfuturus. Quarto poſt Pentecoſtem diè Iuue-nalis *b* Hieroſolymorum Epiſcopus aduenit cum Epiſcopis Palæſtinis. Capreolus *c* verò Carthaginenſis Epiſcopus Beſulam diaconum mi-ſit, qui Synodum doceret ob Vuan-dalicam feritatem, ac barbariem, quæ tota graſſabatur Africa, Africa-nis Epiſcopis integrum non fuiſſe, vt Epheſum proficiſcerentur. Au-guſtinum autem Hypponenſem Epiſ-copum, priuſquam Imperatoris Epiſtolam, qua vocabatur ad Sy-nodum, accepiſſet, e viuis exceſ-ſiſſe: quare non eſſe quod Antiſti-tes vlli expectarentur ex Africa. Solùm itaq; opperiebantur Ioannem Antiochenum cum eius Epiſcopis: qui non ob interualla locorum, ſed vt Neſtorio (id enim ipſa Ephe-ſina *d* Synodus ſcripſit Cæleſtino) morem gereret, pluſquam hebdo-madas duas vltra condictam diem moratus, tandem per duos Metro-politanos ſuos Apameenſem, & Nie-

a *Balſam. tit.* 8. *c.* 1. *Nic. ph. lil.* 14. *c.* 34.

b *Liberat. cap.* 5.

c *Act.* 1. *circa M d. in Epiſt. Capreoli ad Synodũ.*

d *Acto* 5. *aliquanto poſt princ.*

Hierapolitanum Epheſinis Patribus ſignificauit, non eſſe diutius expectandum ipſum, nec Synodum differendam.

Qua propter cum ea cunctatio eſſet Epiſcopis, qui ducenti, &
a *Act.* 1. a eo amplius iam conuenerant,
poſt Med. moleſtiſſima, quod alij ſumptuum
& Act. 5. præmerentur inopia, alij grauibus,
poſt princ. ac periculoſis morbis conflictarentur, alij interpretarentur tantam moram contumelia, & contemptu Synodi non carere; magna conſenſione decreuernnt Synodum auſpicari, idque in Æde B. Mariæ, de-
b *Vincent.* cimo Kalendas b Iulias Baſſo, &
Lirinenſe. Antiocho Coſſ. cum iam Epheſum
c. 42. adueniſſent illuſtres comites c duo,
c *Part.* 1. Irenæus, & Candidianus, nihil
c. 24. ſanè de fidei cauſis cogituri, ſed Irenæus quidem amicitiæ tantum ſtudio Neſtorium ſecutus, nulla publica poteſtate, Candidianus autem cum Theodoſij mandatis, vt Synodi tuendæ, promouendæque ſollicitudinem, curamque pro imperio ſuſtineret. Itaque perlectis in Concilio Auguſtalibus litteris, quibus ad Synodum Epiſcopos inuitarat, antequam diſceptationis initium fieret, Neſtorium, qui ſcelerum conſcientia perterritus in medium prodire auſus non fuerat,

accerſendum curarunt, vt in Synodo ſacrilegia, quorum poſtulabatur, audiret, coramque dilueret. Abnuit *a* accerſitus, ſpretoque Concilij iuſſu, omnem diſputationem, conteſtatamq; litem in Ioannis *b* Epiſcopi extrahebat aduentum. Poſtera die ſecundò, *c* ac tertiò mittuntur Epiſcopi, qui illum Synodi nomine conuenirent: totam opperiuntur diem pro foribus, nihil præter conuicia reportant, ſed & a ſatellitibus, qui Neſtorianam domum cinxerant, petulanter accepti, pulſatique diſcedunt.

a *Act.* 1. *paulò poſt princ.*
b *Socrat. lib.7. c.33.*
c *Act.* 1. *non longe a princ.*

Fruſtra tentatis *d* omnibus, quę inſanienti Neſtorio mederi potuiſſent, itum eſt ad Synodicam cauſæ diiudicationem. Itaque publicè pronunciatur Nicænæ fidei Symbolum, & Cyrilli ad Neſtorium, & Neſtorij ad Cyrillum litteræ: tum conciones, Epiſtolæ, libelli, ac tractatus Neſtorij: quæ omnia a Nicæna fide, ſanctorumque Patrum ſententijs, quæ tunc quamplurimæ prolatæ ſunt in medium, abhorrere iudicata ſunt: poſtremò producti nonnulli viri graues, qui de Neſtorij aduerſus Chriſtum, ac Deiparam Virginem blaſphemijs teſtimonium dixere, quibus omnibus,

d *Ibidem.*

bus grauiter, & accuratè perpenſis, ab Epiſcopatu, Sacerdotumq; conſortio Neſtorius deijcitur conſtantiſſima totius Synodi *a* Sententia, Epiſcoporum omnium Subſcriptionibus munita, quam ſtatim ſolemni pompa præcones tota Vrbe circumtulere, nec voce tantum, ſed affixis etiam publicè Syngraphis promulgarunt. Quin, *b* & populus, qui ab ortu ſolis ad veſperam Synodi Iudicium expectauerat auidè, incredibili gratulatione perfuſus, collucentibus tædis, ac funalibus domum deduxit Epiſcopos; prætereuntibus thura, & odores incendit, impijq; hominis condemnationem acclamatione, ac plauſu fauſtiſſimo celebrauit. Perſcriptum *c* eſt continuò quidquid actum, geſtumq; fuerat Imperatori; quæ Synodi litteræ, licet eas intercipere terra, marique conaretur Candidianus Comes, Neſtorio obſequens, perlatæ tamen ſunt; quod vbi cognouit beatus *d* Dalmatius, admirabili vir ſanctitate, Diuinæ vocis admonitu egreſſus Monaſterio, in quo totos quadraginta octo annos ab omni hominum conſuetudine ſemotus delituerat, longo Archimandritarum, Monachorumque ordine, inter gratu-

a *Act.* 1. *circa med.*
b *Ibid.*
c *Ibidem.*
d *Ibidem paulo poſt.*

tulantium Cantus, & Pſalmos ad pallatium contendit, vt quid in ſacroſancta Synodo decretum eſſet ad Imperatorem perdiſceret. Accurrerunt etiam Anachoretæ cum facibus, & hymnis, magnaque populi frequentia. Quibus omnibus audientibus Epheſiorum Patrum litteræ in S. Mocij Baſilica perlectæ ſunt, ſingulari omnium voluptate; & conclamante populo Anathema Neſtorio.

Hanc Neſtorij condemnationem Apoſtolicæ ſedis *a* Legati, qui poſt latam ſententiam aduenere, cum Acta Synodi recognouiſſent diligenter, ſuo etiam ſuffragio, & chirographo munierunt. At verò Ioannes *b* Antiochenus, qui cum Epiſcopis ſuis, poſt damnatum eumdem Neſtorium, ante legatorum aduentum Epheſum acceſſerat, Candidiani *c* Comitis ſuaſu, doloq; *d* deceptus, indigniſſimè ſe ferre palam profeſſus eſt, non habita abſentis ratione, ſeque inconſulto, damnatum Neſtorium, & Cyrilli Anathematiſmos, de quibus perperam ſentiebat, omnium ſententijs fuiſſe approbatos. Itaq; velut vlturus iniuriam, ſeceſſione facta, coniunctiſque cum Neſtorio viribus, quoddam ſeorſim Conciliabulum,

a *Act.* 2. *in fin.*

b *Euagr. lib.* 1. *c.* 4.

d *Act.* 1. *non lõgè à fine.*

bulum, cui & æcumenicæ Synodi nomen arrogabat, coegit ex *a* triginta circiter Epiſcopis, ſeu potius perditiſſima, atque infima Epiſcoporum fæce; quippe quorum alij extorres erant, ac vagi, alios grauibus de cauſis ipſorum Metropolitani abdicarant Epiſcopatu; alios ob hæreſes ſuis e finibus eiecerant Theſſali; alij demum Pelagij errores ſequebantur. Hac hominum colluuie fretus Ioannes, primum Theodoreti Cyrenſis opera duodecim *b* Cyrilli Anathematiſmos, ſeu capita confutauit: deinde Cyrillo, & Memnoni Epheſino Epiſcopo, viris ætate, ac morum integritate grauiſſimis, falsò ipſos cum Apolinare ſentire obijciens, indicta cauſa Epiſcopalem honorem, ac nomen abſtulit; reliquos autem, qui Synodo interfuerant, iniuſtè piorum communione priuauit, ſtatimq; ſcripſit Imperatori, Cyrillo, & Memnoni Epiſcopalem dignitatem legitimis Iudicum ſuffragijs ademptam fuiſſe. Quarum rerum indignitate commoti Patres Epheſinæ Synodi, acceptis ſupplicibus *c* libellis, quos pro ſe Cyrillus, & Memnon obtulerant, trium Epiſcoporum legatione Ioannem monent, vt in Synodum veniat,

a *Act. 4. in princ. & Act. 5. Epiſt. Synod. ad Cæleſtin.*

b *Act. 1. non longe a fine, & Act. 5. poſt med.*

c *Act. 4. in princ. & Liberat. c. 6.*

niat, rationem eorum, quæ in Cyrillum, in Memnonem, & reliquos per ſummam iniuriam conſtituerat, redditurus. Hærere Ioannes, auerſari, trepidare, & militum potius coronæ, quam cauſæ confiſus, abnuit quò iubebatur, accedere: Quocirca ſacroſancta Synodus illum *a* cum ſocijs, qui peſſimè Cæleſtium, ac Pelagium olebant, Anathemate, atque Epiſcopatus abdicatione multat: Cyrillum, Memnonem, ac reliquos contra fas, ac Ius omne damnatos eſſe pronunciat: Celeſtinumque per litteras de his omnibus certiorem facit, & Ioannis exautorationem Apoſtolicæ, ſedis reſſeruat arbitrio. Verum Theodoſius, Ioannis, atque Orientalium deceptus litteris, Neſtorium, Cyrillum, & Memnonem legitimè damnatos credidit, ac Ioannes Comitem ad Synodum miſit, qui eoſdem in *b* cuſtodiam tradi iuſſit. Mirum eſt quantum mæroris calamitas Cyrilli, & Memnonis attulerit cùm Conſtantinopolitano Clero, tùm Sacroſanctæ Synodo: quæ continuò Epiſcopos octo *c* Legatos Conſtantinopolim miſit, qui rerum geſtarum omnium ordinem coràm exponerent Imperatori. Is

a *Act.* 5. *in Epiſt. Synodi ad Caleſt.*

b *Act.* 5. *in Epiſt. Ioan. Comitis.*

c *Act.* 5. *prope finẽ in relatione Synodi ad Impp.*

a *Liber.c.6* Is verò auditis *a* Concilij actis, ea recipit venerabundus: Cyrillum, ac Memnonem liberat: Exilium b *Euagr. lib.1. c.7.* *b* imperat Neſtorio; ac pro eo alium in Conſtantinopolitana ſede *c* iubet c *Liber.c.7* ſuffici per Epiſcopos, qui Conſtantinopolim conuenerant. d *Socrat. lib.7.c.34.* *d* Qui difficilem ſanè ingreſſi deliberationem, Maximianum denique creant Epiſcopum, notiſſimæ pietatis virum: cuius electionem cum Cæleſtinus e *Part. 3. cap. 17. & ſeq.* *e* a Synodo, & Theodoſio per Legatos, & litteras accepiſſet, ſumma lætitia comprobauit.

Verum quia Ioannes ſimultatem, quam cum Cyrillo exercuerat Epheſi, nondum abijecerat ex animo, Antiochena, & Alexandrina Eccleſiæ ſuos Antiſtites ſecutæ inter ſe vehementer diſſidebant, non ſine magno piorum dolore, offenſione populorum, & Neſtorianorum voluptate, idque toto penè triennio poſt ſolutam Synodum, latiuſq; manaſſet hoc malum, niſi Imperatoris ſingulari vigilantia, incenſoque reſtæ fidei ſtudio repreſſum fuiſset. f *Part. 3. cap. 21.* Quare per Ariſtolaum *f* Tribunum, ac notarium religioſiſſimis monitis, ac ſeueriſſimo iuſſu Ioannem adegit, vt poſitis diſſidijs reconciliaretur Cyrillo, & acta Epheſinæ Synodi ſua, ſuorumque ſub-

ſcrip-

tionibus comprobaret. Cuius rei gratia Paulus Emiſenus *a* Epiſcopus a Ioanne miſſus Alexandriam, venit ad Cyrillum, accurateque recognito Neſtorianæ controuerſiæ ſtatu, cum omnia rectè atque ordine geſta fuiſſe comperiſſet, Ioannis, & Antiochenæ *b* Eccleſiæ nomine, Neſtorij, & damnat hæreſim, & approbat exauctorationem; Maximiani confirmat electionem, duorumque illuſtrium Antiſtitum, & Eccleſiarum communionem, ac pacem redintegrat, atque horum omnium ratio reddita eſt Xyſto *c* tertio, qui eo tempore, mortuo Cæleſtino, Romanam Eccleſiam adminiſtrabat. Neque his contenta pietas Imperatoris, ad maiorem adhuc tam infandæ hæreſeos execrationem, Neſtorij nomen Auguſtali lege *d* damnauit; ſanxitque vt eius ſectatores, non Neſtoriani, ſed Simoniani *e* nominarentur. Bonorum adhuc publicatione propoſita, a Neſtorij libris, ſiue legendis, ſiue habendis, ſiuè deſcribendis, deterruit vniuerſos. Illum verò deportari iuſſit *f* Oaſim, quæ & Ibis dicitur, oppidum in Libyæ deſertis: quod cum Nomadum, ſeu Blemmyum incurſione vaſtatum eſſet, dimiſſus a

a *Part.* 3. *c.*24. *&* 25

b *Liberat. cap.* 8.

c *Part.* 3. *c.*37. *&* 38

d *L. damnato C. de hæretic.*

e *L.*63. *tit.* 5. *lib.*16. *in c. Theodoſ. & l.*3. *c. de ſum. Trin. & fid. cut.*

f *Euagr. lib.*1. *c.*7.

Bar-

Barbaris Neſtorius Thebaidem venit ad ciuitatem Panos : Inde migrare iuſſus eſt ad Elephantinam, quæ vltra Thebæorum fines erat: & licet varijs huc, illuc exilijs circumactus nihilo tamen melior, in tot ærumnis effectus, in Chriſtum Dominum, & Deiparam Virginem, quocumque iret, maledicta vomere non deſinebat. Sed magno diuinæ vltionis oſtento, vermes, qui ex ore *a* impuri hominis erupe- rant, blaſphemantis linguam depaſſebantur, donec ad longè grauiora ſupplicia migraturus, vel ad terram *b* eliſus, vel abſumptus *c* amentia, vel ſpecu terræ *d* dehiſcentis abſortus.

Epheſinum autem Concilium iure optimo inter Æcumenicas Synodos legitimè indictas, approbataſque numeratum ſemper eſt. Nam primo fuit Epiſcoporum ex omnibus regnis *e* conuentu celebratum, & Cæleſtini Romani Pontificis auctoritate coactum; Deinde, quæ de recta fide aduerſus Neſtorium ſanxit, ab eodem Cæleſtino non approbata modo, ſed præſcripta etiam fuere. Nam poſt quam Cyrilli, Neſtorijque litteras, ac libellos accepit Romanam Synodum habuit, vt Cyrillus, *f* & Ale-

a *Euagr. Ibid. Cedr. in Theod. Iunior. Niceph. li. 14. cap. 36.*
b *Euagr. vbi ſupra.*
c *Theod. li. 4. hæret. fabul. c. de Neſtorio.*
d *Niceph. vbi ſupra.*
e *Act. 3. ante med. & Act. 5. in Epiſtol. Synod. ad Cæleſt. & alibi.*
f *Part. 1. cap. 26.*

Alexandrini Patres teſtantur in Epiſtola ad Neſtorium, & iterum Cyrillus in Epiſtola *a* ad Ioannem Antiochenum, in qua Synodo (vt ſupra breuiter indicatum eſt) cum fidei quæſtionem, quæ inter Cyrillum, & Neſtorium vertebatur, ad Apoſtolici Iudicij normam Cæleſtinus exegiſſet aduerſus impium Neſtorij dogma, vt Eccleſiæ, Apoſtolicis traditionibus, diuiniſque ſcripturis aduerſum Pontificiam tulit Sententiam, quam Cyrillo mandauit exequendam, vt ipſemet Pontifex auctor eſt in Epiſtolis ſuis ad eumdem *b* Cyrillum, ad Neſtorium, ad Populum, Clerumque Conſtantinopolitanum, & ad Ioannem Antiochenum. Id quod etiam Iuuenalis Hieroſolymorum, clarius verò Firmus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, tota audiente Synodo, affirmat his *c* verbis. *Sacra & Apoſtolica Cæleſtini Sanctiſſimi Sacratiſſimique ſedes litteras, quas pridem ad Cyrillum Alexandrinum, & Iuuenalem Hieroſolymitanum, & Ruffum Theſſalonicenſem, Sanctiſſimos, Sacratiſſimoſque Epiſcopos, nec non ad ſanctas Conſtantinopolis, & Antiochiæ Eccleſias, miſit, certam de præſenti negotio ſententiam, regulamque præſcripſit; quam nos*

a *Part.* 1. *cap.* 21.

b *Part.* 1. *c.* 15. 18. *& ſeqq.*

c *Act.* 2. *prope fin.*

proinde ſecuti, forma Canonum diligenter vbique obſeruata, canonicum, Apoſtolicumque Iudicium in illum exercuimus. In Epiſtola a quoque, qua Epheſina Synodus Imperatoribus exponit quęcumque contra Neſtorium geſſerat, ita ſcribit. *Huius rei cauſa ipſum à Sacerdotio, peruerſæque doctrinæ Cathedra ſemouimus, canonicèq; exauctorauimus; Cæleſtinum ſanctiſſimum, Deoque dilectiſſimum Vrbis Romanæ Epiſcopum dignis præconijs, qui ante noſtram ſententiam hæretica illius dogmata condemnarat, noſque in ferenda contra Neſtorium ſententia anteuerterat. Et iterum in altera ad eoſdem Auguſtos* b *Epiſtola; Nam etſi (*inquit*) ingens itineris intercapedo vniuerſam illam Sanctorum Epiſcoporum multitudinem ad nos peruenire prohibuerit; attamen illis in locis ſimul coacti, Cæleſtino ſanctiſſimo, piiſſimoque Romanæ Vrbis Epiſcopo præſente, & preſſidente, noſtram de fide ſententiam ſummo conſenſu prædicarunt; eoſque, qui diuerſa ſentiunt ab omni prorſus Sacerdotij ſorte, graduque alienos cenſendos eſſe definiuerunt; & hanc quidem ſuam, ſuorumque ſententiam, antequam vlla omnino Synodus Epheſi conueniret, Cæleſtinus*

a *Act.* 1. *longe poſt Med.*

b *Act.* 3. *prope fin.*

nus ſanctiſſimus Magnæ Romæ Epiſcopus per liiteras ſuas indicauerat, Cyrilloque ſanctiſſimo, Deoque dilectiſſimo Alexandrinorum Epiſcopo, vt ſuas hac in parte vices ſubiens, Romæ definita perficeret, commiſerat. Verum his non contentus, eadem hæc alijs denuò litteris Sacræ Synodo, quam vaſtra dominatio in Epheſorum Metropoli conuenire præcepit, nunc iterum inculcauit. Miſit autem haſſe litteras per Arcadium, & Proiectum Sanctiſſimos Epiſcopos, & Philippum religioſiſſimum presbiterum, qui Cæleſtini ſanctiſſimi, Deoque dilectiſſimi magnæ Vrbis Romæ Epiſcopi perſonam hic ſuſtinet. Quia ergo viri iſti totius Occidentalis Eccleſiæ ſententiam noſtræ huic Synodo coram per litteras expoſuerunt, iudiciumque de fide noſtra, & pietate, noſtro per omnia conſonum ediderunt, & eadem omnino tùm per litteras, tùm per ea, quæ in mandatis acceperant, (quæ maioris lucis cauſa nobis quoque aperuere) quæ nos decreuerunt, publicèque depoſuerunt; propterea non potuimus, quod res poſtulabat, hoc eſt illum, quem illi nobiſcum communem habent Fidei ſenſum, ad Maieſtatem veſtram non referre.
Id, quod etiam manifeſtò apparet

a *Act.* 1. *circa med.* ex ipſius Synodi *a* aduerſus Neſtorium ſententia : quin , & ipſi Apoſtolicæ ſedis Legati Synodum ingreſſi , Sacrorum Patrum conſeſſum affati ſunt *b* his verbis. *Dudum ante ſanctiſſimus, beatiſſimuſq; Pater noſter Cæleſtinus ſedis Apoſtolicæ Epiſcopus , ea per Epiſtolam ad Cyrillum piiſſimum Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopum, de præſenti hac cauſa , & controuerſia perſcripſit , definiuitque quæ par fuit , quæ litteræ Sacro veſtro cœtui haud dubiè iam pridem ſunt exhibitæ. Idem nunc alios rurſum ad corroborandam Fidei Catholicæ doctrinam ad veſtram pietatem per litteras nos miſit*. Et paulò poſt , illos ad Synodum veniſſe , vt executores *c* ſententiæ contra Neſtorium , quam a Cæleſtino acceperant in mandatis , non modo ipſimet legati Arcadius , Proiectus , & Philippus , ſed etiam Cyrillus Alexandrinus Synodo declararunt. Quoniam igitur Pontifex Legatis ſuis disertè tradiderat , quæ per Synodum cuperet definiri , id circò in Epiſtola ad Epheſinam Synodum *d* profitetur cum plena ſe poteſtate miſiſſe Legatos , qui ſuo nomine Concilij acta confirmarent , & ad extremum hæc ſubijcit . *Quæ verò de-*

b *Action.* 2. *Initio.*

c *Act.* 3. *circa med.*

d *Act.* 2.

decreueritis, ea pro omnium Eccleſiarum tranquillitate habeantur definita, decretaque. Tametſi, Epheſij, Patres vt veterem Eccleſiæ conſuetudinem retinerent, quidquid ab ipſis actum, decretumque fuerat poſtmodum per Synodicam Epiſtolam *a* expoſuere Cæleſtino, eiuſque arbitrio reſeruarunt vltimam aduerſus Ioannem Antiochenum ſententiam: addiderunt etiam recipere ſe Romanæ Eccleſiæ decreta aduerſus Celeſtium, & Pelagium, quæ Synodo miſerat Cæleſtinus. His etiam addere poſſumus, eumdem Cæleſtinum cum ex Synodi, & Theodoſij litteris Neſtorij depoſitionem, & Maximiani electionem intellexiſſet, ſumma illam lætitia, & congratulatione confirmaſſe. Ad hæc Syſtus tertius, qui ſucceſſerat Cæleſtino, omnia Epheſinæ Synodi geſta confirmauit, auctore Cyrillo in Epiſtola ad Accacium *b* Melitenſem Epiſcopum. Generalia demum Concilia, quæ deinceps ſecuta ſunt, præſertim Chalcedonenſe quartum, quintumque Conſtantinopolitanum, approbationem, venerationemque, qua Epheſinam Synodum proſequebantur, varijs actionibus teſtatiſſimam reliquere: vt mirum non

a *Act.* 5. *longe poſt Initium.*

b *Part.* 3. *cap.* 20.

ſit ſi eamdem inter illas quatuor B. Gregorius *a* numerarit, quibus vt quatuor Euangelijs honorem cenſuit deferendum. Finis.

a Lib. 1. *Epiſt.* 14.

ADNOTATIONES.

THeodoſius, qui huic Concilio opera, & opem tulit, habito Conuentu, Lege prohibuit Crucem, vel ſignum Seruatoris in ſolo, ſcilicet, aut marmore humi poſito, pingi, ſculpi, aut alio modo imprimi nè hominum pedibus tereretur.

HI-

HISTORIA SANCTI CONC. CHALCEDONENSIS

Generalis Quarti.

A Chriſto nato anno CCCCLI.

Leone Magno Sum. Pontif. & Marciano. Aug. Imp.

EXACTO Neſtorio *a* Maſimianus Conſtãtinopolianam rexit Eccleſiam, tùm Proclus, & poſt eius obitum Flauianus. Is imperante adhuc Theodoſio Iuniore, Flauius *b* Zenone, & Poſthumiano Coſſ. hoc eſt annis octodecim poſt Epheſinum Concilium Conſtantinopoli ex triginta Epiſcopis *c* Synodum coegit ad diſceptandam cauſam, quæ inter Florentium Sardeorum Lydiæ Epiſcopum Metropolitam, & duos ei ſubiectos Epiſcopos Ioannem, & Coſſinium vertebatur. Sedebat in Synodo, præter alios Antiſtites, Euſebius Epiſcopus Dorilæi, quæ Phrygiæ ſalutaris ciuitas eſt, vir planè, vt doctrinæ, morumque laude

a *Euagr. lib.* 1. *c.* 8.

b *Caſſiod. in Chron. Conſ.*

c *Concil. Chalced. Act.* 1. *& Liberat. c.* 11.

laude illuſtris, ita & hæreticorum ſtrenuus oppugnator. Oblato is libello expoſuit Sacræ Synodo Eutychem presbiterum, & Monaſterij, quod in ea Vrbe celeberrimum erat, Archimandritam, cæpiſſe iam pridem delirare, & de Redemptore, redemptioniſque noſtræ ſacramento longè aliter ſentire, quàm ab Apoſtolis, Nicæniſque Patribus traditum ſit. *Nec enim ex duabus, aut in duabus naturis Chriſtum ſubſiſtere fatebatur, nec humanum corpus de Virgine ſuſcepiſſe noſtris conſubſtantiale corporibus: ſed dum Neſtorianam Charybdim, hoc eſt duas in Chriſto perſonas exorere plus nimio videri volebat, in aduerſam Scyllæ voraginem præceps actus, vnam vt* a *hypoſtaſim, ſic, & naturam Chriſto Domino tribuebat: ita Dei Verbo in carnem conuerſo, duabuſque in vnam naturis inter ſe confusè permixtis, vt ſola diuinitas ſub carnis non veritate, ſed figura, famen, ſitim, laxitudinem, vigilias, crucem, mortem perpeſſa ſit, & poſt triduum reuixerit ex ſepulcro*. Hæc vero monſtra, quæ ex Manichæi, Valentini, & Apollinaris caueis, ac luſtris eduxerat Eutyches, libroque edito, per Monaſteria diſſeminabat, cùm ab Epiſcopo Doryleno exponerentur, Fla-

a *S. Leo Epiſt.* 12. 13 & 97.

Flauianum, & qui aſſidebant Epiſcopos, vehementer perturbarunt. Ac primum placuit, vt Eutychem Euſebius, pro veteri, quæ ſibi cum illo intercedebat neceſſitudine, officij, ac religionis admoneret. Rem detrectat Euſebius, ne rurſus audiret hominem impijs vocibus diuinæ œconomiæ Myſteria proſcindentem, præſertim non ſemel expertus, cum illum ſæpius vt amicum antea commonuiſſet, ſua conſilia, ac preces in deſſipientis animo nihil penitus inſediſſe. Mittuntur itaque Ioannes presbiter, ac defenſor, & Andreas diaconus, qui Synodo ſiſterent Eutychem. Pernegat ille fas ſibi eſſe vel pedem efferre de Monaſterij ſeptis, quò ſe veluti tumulo, quodam mortuus magis, quam viuus incluſerat: grauiter præterea incuſat Euſebium, quod inimiciarum potius, quàm pietatis cauſa ſuum nomen Synodo detuliſset. Tergiuerſantem hæreticum accerſunt Patres iterum Synodicis litteris per presbiteros duos Mamam, & Theophilum: quos vt eluderent Monachi, ſuo timentes Archimandritæ, graui atque periculoſo illum morbo conflictari renunciarunt.

Mox ſimulac a presbiteris nihil eſſe, quòd magnopere metuerent, audiere, deducunt eos ad Eutychem: quo nunc affectam iam ſenectutem, nunc Monaſtici ſeceſſus, ac ſolitudinis inuiolabile Ius obtendente, nunc etiam ad diſputandam de hæreſi, quam fouebat, aggrediente, re infecta rédiere Legati. Vocatur & tertiò per Memnonem ſacrorum vaſorum cuſtodem, duoſq; diaconos Epiphanium, & Germanum, quibus ad Monaſterium profectis, Ahabraamus alter Archimandrita venit in Synodum excuſaturus Eutychem, eiuſque nomine ad propoſitam de fide quæſtionem reſponſurus. Verum Eutychis impudentia facilè reiecta eſt, cum æquum Epiſcopis non videretur, vt aut alius ſe pro alio obtruderet, aut v'la quis religione prohiberetur, ne a loco, quem ſibi ipſe circumſcripſiſſet, deduci poſſet ad Synodum. Interea dum vehementer Eutyhes vrgeretur a Memnone, nec alias, quas prætexeret, cauſas haberet, venturum ſe, quò vocabatur, ſpondet; impetratq; ſeptem dierum, quibus affectam valetudinem confirmaret, inducias. Eo tempore verſus ille ad fraudes, & dolos, quibus egregiè inſtruendis

dis ingenio, vſuque pollebat, ſe, ſuam extimationem in maximum diſcrimen adductam, ſuppliciter comendat Chryſaphio Eunucho, qui non ſolum erat Theodoſio Auguſto chariſſimus, & cum Eutyche magna familiaritate deuinctus, propterea quòd ab illo fuerat de ſacro fonte ſuſceptus, & ſui ſuſceptoris imbutus erroribus; ſed etiam Flauiano non parum infenſus, quod cùm ab eo electionis ſuæ gratia munus aliquod pro benedictione flagitaſſet, Flauianus puros panes, non aureum donum, vt ille expectabat, miſerit, cum diceret, talium rerum copiam ſibi non ſuppetere, niſi fortè ſacra Eccleſiæ vaſa, quæ Deo, & pauperibus conſecrata eſſe optimè noſſet, ad hoc aſſumeret. Quo circa ſimultatis, amicitiçque ſtimulis incitatus Eunuchus, perſuadet Imperatori, vt Florentium patricium cum Imperio, ne quid Eccleſia detrimenti pateretur, Synodo iubeat intereſſe. Ea de re mandatum Principis ad Synodum pertulit Magnus Silentiarius, cum quo venit Eutyches non tamquam ad Epiſcoporum conſeſſum, ſed quaſi ad bellum, non modo Monachorum corona, ſed excubitorum, & prætorianorum

Militum armis ſtipatus. Florentium gratulabundi Patres excepere, nec ſine magna Theodoſij laude, quod clariſſimi viri, cuius fides, ac pietas ſpectata ſit, præſidio Synodum communiſſet.

Hic Eutychis fides in diſceptationem vocatur; quidquid de Chriſto crederet, proferre in medium iubetur. Is primùm profiteri, dicturum ſe, quæ ante non dixerit: paratum ſe eſſe amplecti, quæ Synodus imperabat. Verum poſtquam iterum, atque iterum iuſſus eſt prodere, non quam ex Imperio, ſed quam ex animi ſententia rectam fidem putaret eſſe, vomere continuò latentem ſaniem *& Duas quidem*, aſſeuerare, *naturas priuſquam Carni Verbum copularetur, vnam verò dumtaxat poſtquam diuinitas, ac ſeruilis forma in vnam hypoſtaſim coiere*. Patres viciſſim monere illum, vt ad Nicæni Symboli normam cogitationes ſuas dirigeret, hortari, vt piè damnaret, quod impie probarat: vrgere, ne per amentiam reuelleret, quod maiorum Sapientia, ſempiterno Iure defixerat: Hominem denique tam ſalutaria monita reſpuentem, de Sacerdotum Sacrarijs remouent:

a Monaſterij gubernaculis deijciunt , & ab orthodoxorum ſegregant conſortio : idque triginta Epiſcoporum , & viginti trium Abbatum ſubſcriptionibus obſignant.

Incredibile eſt , quanta animi acerbitate , & rabie exarſerit Eutyches ; eam itaque condemnationem , vt abrogaret , omni ope , ac machinatione vſus eſt. Ac primum affixis per triuia libellis , æquiſſimum illud Synodi Ius iniuriam fuiſſe , publicè conteſtatur. Deinde Leoni Romano Epiſcopo ſcribit *a* Neſtorianam Hereſim Conſtantinopoli reuixiſſe , ſeque fictis criminationibus appetitum , oppreſſum , exturbatum : nec fuiſſe , cum ad Apoſtolicam ſedem prouocaret , auditum. Commouerat ea res Pontificem , ſed acceptis mox Flauiani litteris , Synodique geſtis omnibus , facilè conquieuit. Tùm à Pontificis Cathedra , per ſummum ſcelus Eutyches ad Auguſti prætorium , prouocat : oratque iubeat Imperator , Acta *b* Concilij , quæ a Flauiano corrupta eſſe contendebat , recognoſci coram Florentio Patricio ab iiſdem Epiſcopis , præſide Thalaſſio Cæſareæ Cappodociæ Epiſco-

a *S.Leonis Epiſt.* 8. 9. *&* 10.

b *Act.* 1. *Chalced. Concil. pag.* 128.

Epiſcopo. Annuit Theodoſius, plus nimio lenis, ac facilis ad Aulicorum preces. Itaque reditur ad Synodum, Protegene, & Aſterio Coſſ. V. Idus Aprilis coram Macedonio Tribuno in Eccleſiæ Baptiſterio. Intruduntur & in eum locum, qui pro Eutyche pugnarent, Monachi tres, Conſtantius, Eleuſius, & Conſtantinus præter Synodorum conſuetudinem, & reclamantibus Epiſcopis. Releguntur Acta, retractantur teſtimonia, in ſingula diligenter inquiritur. Verum ea omnis ſuſpicio recidit in auctorem: nam quò accuratius explorata ſunt omnia, eò clarius, vt Flauiani incorupta fides enituit, ità nequiſſima fraus, & fallacia Eutychis detecta eſt. Qui fruſtra legitimis Iudicibus pertentatis ad ſuæ tandem cauſæ ſubſidium, fouere, atque inflamare, non eſt veritus diſſenſiones Epiſcoporum. Implorauit enim patrocinium Dioſcori Alexandrini Epiſcopi, quippè grauiter inuidenti Flauiano ob Conſtantinopolitanæ ſedis amplitudinem. Nec magno ſanè negotio illum Flauiani calumniator in ſuas partes pellexit: ſiquidem haud ægrè in exulcerato animo fictum crimen inſedit; cum præſertim Eutyches

dum

dum vnam Chriſti naturam affirmabat, videri vellet patronus, & aſſertor illius vnitatis, quam ſanctus Cyrillus aduerſus Neſtorianam diuiſionem Epheſi tutatus eſt. Quocirca Dioſcorus Cyrilli olim Archidiaconus, poſtea verò in Epiſcopatu ſucceſſor, facilè Cyrilli nomine, & inani quadam dogmatum ſimilitudine captus eſt; Sed & veriſſimè teſtatur Apoſtolus, *Eos circa fidem ſolitos naufragari, qui bonam conſcientiam repulere*; repulerat autem perditiſſimè Dioſcorus, homo *a* profligatiſſimis moribus, blaſphemus, Origeniſta, adulterijs, & homicidijs, alijſque ſceleribus inquinatus, quæ tamen ante electionem, vt hypocrita, ſpeciem ſanctitatis, ac pietatis præſeferens, occultauit: Is igitur Dioſcorus afflicto, ac iacenti Eutychi fidem, dexteramque porrigit, agitque cum Imperatore per litteras, Æcumenico res tantas indigere Concilio; ſummas Eccleſiarum ſimultates, ac pugnas ſummæ Eccleſiæ auctoritate eſſe tollendas. Repugnat ex aduerſo Flauianus, reclamat *b* Leo, obſtrepunt pij omnes: Gratiæ tamen plùs datum, quàm Religioni.

1. Thim. 1.

a *Concil. Chalced. Act.* 3. *Liberat. c.* 12. *Cedren. in Theodoſio.*

b *Epiſt.* 20. & 21.

Theodoſius itaque infeſto Dioſ-

cori

tori partibus animo, indicit Epheſinam Synodum ſecundam, Coſſ. Aſterio, & Protegene; hoc eſt nouendecim annis a prima. Eò cõuenere Dioſcorus Alexãdrinus cum Eutyche ſuo, Domnus Antiochenus Ioannis ſucceſſor, Iuuenalis Hieroſolymitanus, Flauianus C.P. cum centum triginta, & eo amplius Epiſcopis. Leo quoque vt voluntati Imp. obſequeretur, ſedis Apoſtolicæ auctoritatem adhibuit, miſitque Apoſtolicos Legatos Iulianum Epiſcopum Puteolanum, Renatum Presbiterum tit. Sanct. Clementis, Hilarium Diaconum, &
a Leo Ep. 15. & 16. Dulcitium notarium, cum *a* Epiſtolis ad Flauianum vnam, ad Synodum alteram, quibus luculenter rectam fidem aduerſus Eutychis præſtigias explanabat. Miſit viciſſim Imperator tum Barſumam Archimandritam, vt Monachorum omnium nomine contra Orientales Epiſcopos, qui Eutychem damnauerant, ageret; tùm Elpidium ſacri Conſiſtorij comitem, qui Synodi conſeruator eſſet, & cuſtos, & Epiſcopis, a quibus Eutyches iudicatus fuerat, iudicãdi adimeret poteſtatem. His tam pudendis, & tàm infauſtis rerum auſpicijs Epheſi ad IV. Idus Auguſti in Sanctæ Mariæ Baſilica conuenitur. Iubet Elpidius principio de Actis

Con-

Conſtantinopolitanę Synodi quęſtionem haberi. Obſiſtunt Apoſtolici Legati, priuſq; Leonis Epiſtolam poſtulabant recitari; obſtrepuit Eutyches, eoſq; in ſuſpicionem, atque inuidiam rapit, quod apud Flauianum pranſi, olerent plus nimio Flauianum. Abſcedunt Synodo Legati, tùm ob Pontificis litteras ab Hæreticis non receptas, ſuppreſſas etiam doloſè, tùm etiam quia iuxta Romanæ Eccleſiæ prærogatiuam primatus in ſedendo delatus eis non fuerat: poſtea tamen rediere. Verum Dioſcorus, & Barſumas, quibus nihil iure agere, ſed vi, manuque omnia miſcere certum erat, legitimis diſputationibus, ac iudicijs diffiſi, Militum copias conſcribunt, validamque manum trecētorum Monachorum; Synodum irrumpunt armati; Notarijs, qui Synodi acta excipiebant, defringent digitos, tabulaſq; concerpunt. Theodoretum Cyrēſem, & Ibam Edeſſeum abſentes, Domnū verò Antiochenū eo die ęgrotantem, indicta cauſa cōdemnant, & ab Epiſcopatu deijciunt: Flauiano ſilentium imperant, eiuſq; comites in ferrum, & catenas, adigūt: per ſummos terrores, ac minas eſtorquent Epiſcoporum ſuffragia aduerſus Flauianum, cogunt ſubſcribere puris, albiſq; membranis, in quibus deſcribendum quid

eſſet

eſſet ignorarent. Apoſtolici reclamant Legati: ſed cum nihil proficerent per ſcutatos ſatellites elapſi, ſe velut e ſicariorum agmine ſubduxere. Recitatur publicè libellus, qnem Eutyches Synodo dederat cum Symbolo verbis illis ſublatis: *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine*. Acclamat libello Dioſcorus, eamq; Nicænam eſſe fidem prædicat. Priſtinum in ſtatum reſtituitur Eutyches: Euſebius autem Dorylæus, & Flauianus hæreſeos nomine conijciuntur in vincula. Ad Apoſtolicam ſedem prouocat Flauianus: prouocantem Dioſcorus, factus ex Epiſcopo Carnifex tot pugnis, calcibuſque contundit, vt poſt triduum in exilio, grauiſſimè plagarum dolore conflictatus obierit. In demortui locum ſubrogant Anatolium Diaconum Dioſcori apocriſarium, nec ab Eutyche, vt ipſis videbatur, alienum. Victor Dioſcorus lætitia geſtit, & ne quid audaciæ, ne quid furoris abeſſet, poſtquam diuini humanique quidquid eſt Iuris euertit, Alexandriam reuerſus in ipſum tandem culmen Eccleſiæ, hoc eſt in Leonem Pontificem, nefario, nouoque exemplo, Anathematis iaculum contorſit.

Acerbo

Acerbo *a* tantæ calamitatis accepto nuncio per Hilarium Diaconum, dici vix poteſt, quanto animi mærore Leo Flauiani necem, Epiſcoporum terrorem, ac fugam, diuulſas Eccleſias, proſtratam fidem, exultantem hæreſim deplorarit. Ad eum itaque luctum, ſqualoremque leuandum omni ope, ſolertiaque incubuit; coacta quam primum Romæ Synodo, quidquid Epheſi fuerat actum, damnauit, ac reſcidit. Crebris deinde inſtitit litteris Theodoſium, & Pulcheriam Auguſtam vrgere, vt vnanimi conſenſu Synodus altera, quæ Epheſinam ignominiam, & labem deleret, intra fines Italiæ cogeretur. Sed, & cum multis Italiæ Epiſcopis obuiam prodijt Valentiniano Auguſto, qui cum Reginis, hoc eſt cum Matre Galla Placidia, & congiuge Eudoxia Romam religionis cauſa ad Apoſtolorum limina veniebat: cùmque illis Epheſini Concilij, ſeu potius latrocinij flagitia commiſerabili fletu, crebriſq; ſingultibus expoſuiſſet, lacrimas Reginis excuſſit, & tùm eas, tùm Valentinianum orando compulit, vti Theodoſio ſcriberent, efficerentque, vt alio rurſus Concilio, quæ perperam geſta fuerant Epheſi, re-

a Concil. Chalced. Act.3.

retractarentur. Scripſit Auguſtus Auguſto, ſcripſere Reginæ. Verum Eutychianis fabulis, ac dolis irretita Theodoſij mens, nullis litteris, nullis precibus, nulla ſuorum neceſſitudine flecti potuit. Quin potius publicis legibus Flauianum damnauit, Epheſinamque Synodum Nicænæ iuſſit æquari. At neque leues, neque feras tanti facinoris pœnas dedit, ſiquidem haud multo poſt, dum Equitaret, collapſo equo grauiter eliſus, atque exanimatus eſt, hærede nullo relicto, pauciſq; Ortodoxorum lugentibus.

Eius ſoror Pulcheria Marciano clariſſimo Senatori, & Orientis Imperium, ſuffragante Senatu, & ſe ipſam in matrimonium dedit. Marciani egregia probitas, & omnium ſermone celebrata religio Leonem impulerè, vt ab eo per litteras, quod a Theodoſio non potuerat, conſequi niteretur. Aſſenſere Marcianus, & Pulcheria, & vltrò, citròque datis ad Leonem, acceptiſque litteris, Nicæam Concilij gratia, ſexcentos triginta Epiſcopos euocarunt. Apoſtolici verò Legati, quos miſerat Leo, Paſchaſinus Lilybetanus, Lucentius Aſculanus,

Iu-

Iulianus Coenſis Epiſcopi, & Bonifacius Presbiter, cùm per magni intereſſe exiſtimarent ad res componendas, tumultumque Eutychianarum partium ſedandos, ſi in Synodo Marcianus intereſſet, obnixè illum rogarunt eò loci Concilium transferret, quò & ipſe non incommodè poſſet accedere. Eam òb rem Calcedone Bithyniæ, quæ Conſtantinopoli ſeptem ſtadijs abeſt, translata fuit Synodus, & haberi cæpta octauo Idus octobris Marciano, & Adelphio Coſſ. Legatis Apoſtolicis præſidentibus, in Æde Sanctiſſimæ Virginis, ac Martyris Euphemiæ. Ibi adfuerunt ampliſſimus Senatus, & aliquot alij Proceres, qui Iudices in Concilio nominantur, ab Imperatore præfecti, non vt de rebus ad fidem, & religionem ſpectantibus decernere, ac iudicare deberent, ſed tantum, vt ſua auctoritate ſtrepitus, ac turbas comprimerent. Nam in actione ſecunda, ſe doceri debere ab Epiſcopis, palàm ipſi Iudices profitentur: & in actione tertia, cum Dioſcorus præſentiam Iudicum requireret, Epiſcopi reſponderunt, quando regularia tractantur, nullos

nullos Iudices laicos intereſſe poſſe; & in eadem actione ijdem Epiſcopi affirmant a Deo ſolis Epiſcopis datam auctoritatem Epiſcopos iudicandi.

Principio clamauerunt Apoſtolici Legati, *Fas non eſſe, vt Dioſcorus, qui reus ſit, & ab alijs iudicandus, inter Epiſcopos ſedeat de alijs iudicaturus*. Ea res dum vltrò, citròque inter Legatos, & Iudices agitur, Euſebius Dorilenſis aduerſus Dioſcorum Iudicibus libellum obtulit plenum flagitijs, ac furoribus Epheſini conuentus. Quo perlecto iuſſu Iudicum, Conſtantinus, qui erat a ſecretis Conſiſtorij, tùm Conſtantinopolitanæ, tùm Epheſinæ ſecundæ Synodi acta omnia de Eutychis, & Dioſcori cauſa, publicè recitauit: ex quibus cum nefariæ illorum hæreſes, & inaudita crudelitatis exempla patuiſſent, fremere Patres aduerſus Dioſcorum impij parricidæ, non ferre præſentiam, vultu, occulis, clamore hominem percellere.

Poſtera dies ſecundam excepit Actionem, in qua publicè recitatum Nicænum, Conſtantinopolitanumque Symbolum, Deindè Cyrilli ad Neſtorium, & ad Ioannem Antiochenum litteræ: tùm Leonis ad

ad Flauianum Epiſtola, cui illis verbis acclamauerunt Epiſcopi: *Petrus per Leonem ità locutus eſt: Apoſtoli ità docuerunt*. Dioſcorus ſcelerum conſcientia conſternatus, nec ſecundæ interfuit actioni, nec tertiæ: in qua cum ad Iudicium poſceretur, Euſebij Dorilenſis libello, Patrum iuſſu per Conſtantinum, Acatium, & Atticum Epiſcopos vocatur ad Synodum. Se a lictoribus, reſpondit, ne domo exeat, prohiberi; Sed facta mòx a lictorum Magiſtro exeundi poteſtate, negnauit ſe venturum in Synodum, a qua Senatum, & Iudices tunc abeſſe cognouerat. Iterùm ad illum tres alij diriguntur Epiſcopi, Pergamius, Cecropius, Ruffinus; morbum impudenter excuſat. Interea Athanaſius, Theodorus, Iſchyrion, & Sophronius Alexandrini, in Synodum admiſſi, datis libellis, grauiſſimas, quibus a Dioſcoro affecti fuerant, iniurias expoſuere: vaſtatos agros, incenſa prædia, ſublatas vxores alienas, ſtupratas Virgines, fœdata connubia, aliaque id genus ſcelera. Quibus commoti Patres, tertiò adhuc hominem accerſunt per Francionem, Lucianum, & Ioannem Epiſcopos. Sed nihil plus ea die, quàm alijs actum eſt.

Tum

Tum Apoſtolici Legati ſummatim commemoratis ſceleribus, quorum, & Alexandrinis teſtimonijs, & publicis Epheſinæ Synodi actis conuictus fuerat Dioſcorus, ex Leonis Pontificis ſententia pronunciant, illum & Epiſcopali honore, & Sacerdotum functionibus omnibus priuatum eſſe. Eam ſententiam Anatholius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cæterique Patres vniuerſi grauiſſimis verbis comprobant, atque Auguſto, & Auguſtæ ſignificant, ac publicis euulgant edictis, & Alexandrinæ perſcribunt Eccleſiæ.

Damnato Dioſcoro reditum eſt ad Leonis Epiſtolam, & ad conſtabiliendam rectam fidei formulam. Hic plerique Epiſcopi clamauerunt: *A Dioſcoro ſe circunuentos Epheſi, metuque adactos fuiſſe, ſaperent, dicerent, ſcriberent, quæ non opportebat: Erratoſupplices precantur ignoſci*. Iubentur itaque ſinguli ſeorſim ſuæ confeſſionis, ac fidei libellum conſcribere: conſcribunt Leonis Epiſtolam, vt inuiolabilem orthodoxi dogmatis normam venerati, veniam facilè conſequuntur, pręter Ægyptios Epiſcopos, & nonnullos Archimandritas: qui tamen petierunt vt liceret ſibi nouum Epiſcopum Alexandrinum, ex cuius

vo-

voluntate ſubſcriberent, opperiri. Neque id ipſis denegatum, iureiurando tamen, & vadimonio obſtrictis, ſe Chalcedone non abituros quoad Sancta Synodus imperarit.

Cogitatum deinde de conſcribenda fidei Formula, quæ omnes in vnum deuinceret Eccleſias. Habitus ex ſingulis prouincijs delectus quorundam Epiſcoporum, qui in eam rem incumberent cum Legatis Apoſtolicis, & Anatolio Conſtantinopolitano, ſeorſum in Eccleſiæ ſacrario. Hi vero ad Leonis Epiſtolam velut ad normam, columnamque veritatis, cum ſuam omnem deliberationem exigere ſtuduiſſent, *Chriſtum Dominum perfectum Deum, perfectum hominem ex duabus naturis inconfusè, atque incommutabiliter conſiſtentem, & diuinitate quidem Deo Patri, humanitate verò nobis eſſe conſubſtantialem, ac per omnia ſimilem, ſi peccatum excipias, decreuere; ſententijs omnibus, quæ vllo modo videri poſſunt ab hoc dogmate diſſentire damnatis*. Id a delectis Patribus definitum eſse poſtquam Marciano Auguſto renunciatum eſt; confeſtim VIII. Cal. Nouembris cum pluri-mis clariſſimis viris Chalcedonem

 venit,

venit, non oſtentandæ poteſtatis gratia, ſed vt vniuerſos Patres ad rectæ fidei rationem cohortaretur: idque oratione latinè primo, deinde grecè pronunciata. Ex qua tantus extitit animorum ardor, vt poſt beneuoliſſimas erga Imperatorem, & Auguſtam acclamationes, in eam formulam, quam tunc Apoſtolici Legati cum Anatolio, & collegis ediderant, ab vniuerſis Epiſcopis itum ſit, ſummoque conſenſu ſubſcriptum.

Explicata fide de varijs Epiſcoporum controuerſijs actum eſt. Ibas, & Theodoretus ſuis Eccleſijs reſtituti: Editique poſt Legatorum, Iudicumque diſceſsum nonnulli Canones, quorum vnus, adnitente in primis Anatolio, ſecundum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ poſt Romanam locum deferebat. Id poſtquàm audiuere Legati, quàm primum regreſſi cum Iudicibus, comprimere Epiſcoporum audaciam ſtuduere. Sed illi cum Leonem non diſsenſurum ſperarent, ab eo per Epiſtolam, vt Synodum, & Synodi Canones ratos haberet, petiere. At longè aliter res euenit; Leo ſiquidem, ſicut eorum, quæ aduerſus hæreticos illi decreuerant, fuit conſtantiſſimus approbator, ità

ſe

ſe ambitionis præbuit acerrimum vindicem, haudquaquam paſſus, Eccleſiarum Iura, quæ a Nicænis Patribus conſtituta fuerant, commutari. Itaque Chalcedonenſem Canonem de Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ prærogatiua, reiecit, & Iuuenalem Hieroſolymitanum duabus Palæſtinis ſibi ſubijciendis inhiantem coercuit, aliaque id genus diſertiſſimis verbis abrogauit. a *Si quid* (inquit) *ab his fratribus, quos ad Sanctam Synodum vice mea miſi, præter id quod ad cauſam fidei pertinebat, geſtum eſſe perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantum ab Apoſtolica ſede ſunt directi, vt excuſſis hæreſibus, catholicæ eſſent fidei defenſores*. Et rurſus ad Epiſcopos, qui in ſancta Chalcedonenſi Synodo conuenerant. b *Fraterna*, inquit, *vniuerſitas, & omnium fidelium corda cognoſcant, me non ſolum per fratres, qui vicem meam executi ſunt, ſed etiam per approbationem geſtorum Synodalium, propriam vobiſcum inijſſe ſententiam, in ſola videlicet fidei cauſa, quod ſæpe dicendum eſt, propter quam generale Concilium, & ex præcepto Chriſtianorum Principum, & ex conſenſu Apoſtolicæ ſedis placuit congregari*,

a *Epiſt.62. ad Max. Antioch.*

b *Epiſt.61*

damnatis hæreticis, qui ſi corrigi voluiſſent, nulla penitus reſſideret de vera Domini noſtri Ieſu Chriſti incarnatione dubitatio. Gelaſius quoque Ea, quæ per incompetentem præſumptionem illic prolata, vel potius ventilata ſunt, quæ ſedes Apoſtolica gerenda nullatenus delegauit, imò potius ab eius Vicarijs apertè reiecta ſunt, ab eadem Apoſtolica ſede nulla ratione approbata, commemorat.

Marcianus verò Imperator animo ad fidem, Eccleſiamque tuendam, atque amplificandam intentiſſimo, ſeueris legibus cauit, ne quis Chalcedonenſium Patrum decreta vocaret in dubium. Antiquauit, & Theodoſij ſanctionem aduerſus Flauianum, cuius vtpote glorioſiſſimi Martyris Reliquiæ Conſtantinopolim Magna cæremonia, ac populi pietate delatæ fuerant. In Eutychianos exilia, aliaque ſupplicia conſtituit; ac vetuit ne in Epiſcopi, aut Presbiteri honorem, aut in Monachorum vllam admitterentur ſodalitatem: docentes eam hæreſim vltimo ſupplicio affici iuſſit. Dioſcorum, in cuius locum Chalcedonenſis Synodus Proteſium ſuffecerat, eiecit in vrbem Paphlagoniæ, Gangrenam nomine, vbi & ani-

animam miſerabiliter exhalauit. Iuſſit, & Eutychem exulare, ſed cùm exul ijs etiam, inter quos agebat, venena ſpargere non deſiſteret, hortatu Leonis, & Imperatoris edicto in longiora, & ſecretiora loca ablegatus eſt.

Magna denique, & illuſtria ſunt apud Sanctos Patres huius Chalcedonenſis Synodi præconia. Itaque Leo Pontifex: *a Quæ* (inquit,) *apud Chalcedonenſem Synodum de Chriſti Domini incarnatione firmata ſunt, nulla permittas retractatione pulſari: quia in illo Concilio per Spiritum Sanctum congregato tam plenis, atque perfectis definitionibus cuncta firmata ſunt, vt nihil ei Regulæ, quæ ex diuina iſpiratione prolata eſt, aut addi poſſit, aut minui*. Gelaſius quoque ad Eupheſianum, quæ in hac Synodo Chalcedonenſi pro fide, & communione Catholica, lege Apoſtolica definita ſunt, verè, certèque ſectanda confirmat. Idem etiam in Synodo ſeptuaginta Epiſcoporum hoc Concilium a Patribus inſtitutum, & recipiendum, & cuſtodiendum pręcipit. Gregorius *b* multis in locis illos, qui hanc Synodum reijciunt, aut aliquid addendum, vel detrahendum præſummunt, ſub Anathe-

a *Epiſt.* 71 *ad Leon. Auguſt.*

b *Lib.* 1. *Epiſt.* 24. *li.* 2. *Epiſt.* 10. *lib.* 3. *Epiſt.* 4. *li.* 7. *Epiſt.* 13.

matis pœna deteſtatur. Martinus
a *Sect.* 5. primus in Lateranenſi Synodo *a*
hoc Concilium ex animo amplectitur.
b *Collat.* 3 Synodus *b* quinta eius dogmata, fidemque defendit. Sexta
c *Act.* 17. Synodus *c* hoc Concilium mirificè laudat, & Leonis Epiſtolam ad Flauianum *Rectæ fidei titulum* nominet. Septima item, & octaua Synodus idem confirmat.

De Canonibus autem huius Concilij illud eſt animaduertendùm, quamuis in vulgatis exemplaribus deſcripti ſint in Act. XV. Pelagium tamen, & Sanctum Gregorium affirmare illos editos fuiſſe ſtatim poſt Fidei definitionem; quod intelligendum eſt. *De veris, & legitimis Canonibus tantum:* Nam poſteriores illi tres, *Quorum primus eſt de priuilegijs Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ*, ab Epiſcopis Orientalibus promulgati fuerunt abſoluta decimaquarta Actione, poſtquam Legati Apoſtolici diſſeſſerant, vt ex decimaſexta Actione cognoſcitur. Finis.

ADNOTATIONES.

TEmpore huius Concilij floruit Sanctus Petrus Epiſcopus Rauennæ, propter diuinam eloquentiam Chryſologus dictus.

HISTORIA SANCTI CONC. II. CONSTANTINOPOLITANI

Generalis Quinti,

A Christo nato anno CCCCCLIII.

ADuerſus orthodoxam fidem, quam varijs laborantem procellis Chalcedonenſe Concilium prouidentiſſimis Decretis, velut anchoris, tranquilla pace fundauerat, haud multò poſt noua rurſum exorta tempeſtas eoſdem fluctus, hoc eſt Eutychianos, & Neſtorianos, ſed & exoletos iam errores Origenis excitauit. Ab horum trium officina, ſeu voragine potius, iterùm magni per omnem Eccleſiam motus; atque vt ſeorſim pauca de ſingulis; Eutychianus primus furor, qui in multorum animis metu potius, quàm voluntate repreſſus latebat, vbi licuit, è ſuis erupit latebris, turbulentiſſimèque tres cómmouit Patriarchatus Orientis Alexan-

Vigilio Summ. Pont. & Iuſtinian. Imper.

xandrinum, Antiochenum, Conſtantinopolitanum. Alexandriæ ſi quidem audito ſtatim obitu Marciani orthodoxi Imperatoris, qui dum ſuperſtes fuit, Chalcedonenſem Fidem & legibus, & Armis ſtrenuè vindicabat, ea ſoluti formidine, ſacrilegum extulere caput quicumque Dioſcoro fauebant, quorum anteſignani tunc erant *a* Timotheus, Ælurus, & Petrus Moggus. Hi primi ſtipati turbis hæreticorum adoriuntur Proteſium, ex Chalcedonenſi decreto tunc Epiſcopum Alexandriæ, iugulant in Eccleſiæ Baptiſterio latitantem, dilaniant, in ignem deijciunt, cinerumque reliquias in ventos diſſipant. Acærrimè tulit id Leo Imperator, qui Marciano ſucceſſerat: cumque accepiſſet Alexandrinos ita furere ex odio Chalcedonenſis Synodi, de ea Synodo ſingulos Epiſcopos, qui eam celebrarant, per litteras interim rogauit, qui per eam occaſionem honorificentiſſimis Synodum teſtimonijs proſecuti ſunt: extantque eorum ad Leonem Imperatorem Epiſtolæ. Paulò ante Proteſij cædem Epiſcopatum inuaſerat Ælurus: aduerſus quem licet, & Epiſcoporum conſenſus, & pietas Imperatoris multa ſeueriſſimè de-

a Ex Liberat. c. 15 hæc omnia

decreuerit, perficere tamen non potuit, quin ex eo tempore Alexandrina ſedes in duos Epiſcopos multis annis diuiſa fuerit, Catholicum vnum, alterum Eutychianum, nam Petrus etiam Moggus, alijq; illi ſimiles ea dignitate potiti ſunt, non ſine grauibus Catholicorum vexationibus, & ærumnis.

Hæc Eutychiani debacchati ſunt Alexandriæ: neque ſegnius Antiochiæ auctore Seuero, qui *a* Sezopoli Piſidiæ ortus, Beryti Forenſibus ſtudijs aliquando operam dedit, mox ex cauſidico Monachus, ex Monacho factus Eutychianus, eamque ob rem Monaſterio eiectus ab Abbate Nephalio, Conſtantinopolim venit, vbi Anaſtaſij Imperatoris, & Senatorum adeptus gratiam, & collectitijs perditorum hominum ſeptus, Flauianum Pium, & Catholicum Epiſcopum *b* Antiocheno deturbat Epiſcopatu, eiuſq; occupat ſedem. Vix dum ea potitus, Sanctam Chalcedonenſem *c* Synodum contra iuramentum ſuum publicè Anathematizat, populatur Eccleſias, furit aduerſus pios terroribus, exilio, verberibus: trecentos in primis *d* Monachos, quorum nec potuit minis, nec blandicijs labefactare conſtantiam, ne-

a *Euagr. lib. 3. c. 33. & Niceph. lib. 16. c. 29.*

b *Liberat. c. 19. Nic. Ser. lib. 16. c. 19.*

c *Synod. C. P. ſub Men. Act. 1.*

d *Epiſt. Monach. ad Hormiſd. Papam.*

ſario ſcelere trucidat, inhumatos nocturnis canibus prædam relinqui iubet: tandem luctu, cruore, cadaueribus funeſtat omnia. Mirum eſt ab vno homine, & quot hominum cædes, & quam multiplex hæreſeos colluuies.

Has ferè Eutychianorum furias Antiocheni paſſi ſunt, neque verò minus infeſtas Conſtantinopolitani, primùm quidem ſub Acatio Epiſcopo, qui *a* Petri Moggi, qui in Alexandrino Epiſcopatu retinendo callidus fauor, & Chalcedonenſis fidei fraudulentus proditor, doloſis artibus, diù Romanorum Pontificum eludere conatus eſt vigilantiam: deindè *b* ſub Anthimo, qui abdicato Trapezuntis Epiſcopatu Conſtantinopolitanum per ſummum ſcelus arripuit, ac nefaſtis hæreticorum ritibus, vitijſque fœdauit. Quæ cum grauiter ferret *c* Agapetus Romanus Pontifex, qui per id tempus Theodati Gothorum Regis cauſa Conſtantinopolim venerat, non modo Anthimi conſalutatione, omnique communione abſtinuit, ſed, & eum, obſiſtente licèt Theodora Auguſta, Patriarchatu deiecit, Mena ſpectatæ pietatis viro in illius locum ſuffecto: quem & ſua ipſe manu conſecrauit in Sanctæ Mariæ Baſi-

a *Liberat. c.* 16. 17.

b *Synod. C. P. ſub Mem. Act.* 1.

c *Liberat. c.* 21.

Baſilica toto plaudente populo, ac Senatu. Eaque acta omnia poſtmodum recepta ſunt tùm in prouinciali Synodo, quam Menas præſentibus Apoſtolicæ ſedis Legatis coegit, tùm Iuſtiniani Imperatoris conſenſu, ac ſanctione, quibus duabus rebus repreſſa vi quorumdam hæreticorum aliquantum conquieuit. Hactenus de Eutychianis.

Sed, & nihilo minùs tranſuerſum agebat Orientem Neſtoriana hæreſis, quam magnoperè fouebant libelli quidam à tribus auctoribus editi, quorum primus fuit Theodorus Mopſueſtiæ Epiſcopus, qui ante Epheſinam Synodum contra *a* Eunomium, & Apollinarem aſſertores naturæ vnius in Chriſto ita ſcripſerat, *Vt vnam tamen Chriſti perſonam, & Deum carne indutum, & Mariam eſſe Matrem* b *palam inficiaretur*. Itaque cum Neſtorianæ ſegetis, ac lolij ſementem feciſſe videretur, multa de eo fuerat olim inter Proclum Conſtantinopolitanum, Cyrillum Alexandrinum, & Ioannem Antiochenum diſceptatio. Neſtoriani autem damnato Neſtorio, cum eius *c* libros Catholicis interdictos eſſe perſpicerent, ne deeſſet vndè populus neſtorianum venenum haurire poſſet,

a *Liberat.* *c.*10.

b *Quinta Syn. C.P. Collat.* 4. *& Iuſt. in edicto de Confeſſ. fidei.*

c *Liberat. c.*10. *quinta Synod. C.P. coll.* 1. *in Epiſt. Iuſtin. ad Synod.*

Theodori Mopſueſteni euulgarunt opuſcula, neque græco ſolùm idiomate, ſed Syriorum etiam, Armeniorum, atque Perſarum. Alter fuit Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus, qui duodecim Epheſinæ fidei capitibus a Cyrillo conſcriptis totidem obiecerat Anathematiſmos. Tertius Ibas Edeſſenæ ciuitatis Epiſcopus, qui ſcripta ad Marim Perſam epiſtola, coarguit Rabulam deceſſorem ſuum, quòd immeritò Mopſueſtenum, quem de Eccleſia optimè meritum, doctoremque fuiſſe ſtrenuum in multis aduerſus hæreticos dimicationibus aiebat, Anathemate damnaſſet. Fuit hæc Epiſtola compluribus offendiculo, trahebatque rudiores ad Mopſeuſteni, ac Neſtorij partes, quorum dogmata continebat. Quæ cum renunciata fuiſſent Proclo Conſtantinopolitano Epiſcopo, veritus ne quid inde detrimenti pateretur Eccleſia, Ioannem Antiochenum per litteras hortatur, ac rogat, vt Ibam velut, ex Inſidijs ſcelus anhelantem coerceat. Neglexit Ioannes, Domnus etiam ſucceſſor eius. Itaque res integra *a* defertur ad Theodoſium Imperatorem Iuniorem, & Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quorum iuſſu Photins, & Euſtathius Epiſcopi

a Synod. Chalced. act. 10. ex Synod. Berijten.

copi coacta Synodo Beryti in Phœnicia de Ibæ præſentis cauſa cognoſcunt. Credi vix poteſt quot, & quæ flagitiorum genera ſuo Epiſcopo Clerus Edexenus obiecerit. Sed rebus vltrò, citròque diligenter diſcuſſis, placuit Synodo, vt ille, & Anathema Neſtorio diceret, & retineret Epiſcopatum. Verùm longè immitius egit Dioſcorus, eiuſque ſectatores, qui Ibam duas Chriſti naturas prædicantem aduerſus Eutychem, crudeliter perſecuti ſunt, tamquam ab Epheſina Synodo, & a Cyrillo diſſidentem. Quocirca abſentem, & inauditum, varijſque afflictum carceribus, condemnarunt. Quæ res cum multorum deindè contentionibus agitaretur, non ſine graui Eccleſiæ perturbatione, prouocauit Ibas ad Chalcedonenſe Concilium. Quod relectis Berytenſibus actis, Ibam Anathema Neſtorio dicentem, communioni, Eccleſiæque ſuæ reſtituendum duxit. De illius tamen Epiſtola ad Marim Perſam nihil diſtinctè, atque enucleatè, nihil communi, & vnanimi iudicio definiuit. Illa igitur quaſi nondum per Eccleſiam damnata, in ſuam, aliorumque perniciem complures vtebantur.

Hæc

Hæc de Eutychis, & Neſtorij, aut clientibus, aut patronis.

a *Cyrillus Monach. in vita S. Saba. Iuſt. Imper. in Epiſt. ad Menam. cont. Origenem. Niceph. li. 17. c. 27.*

b *Liberat. c. 23.*

Acceſſit ijs, & tertia calamitas *a* ex duobus Monachis nouæ Lauræ (erat id ſancti Sabæ Monaſterium in Palæſtina) Nonio, & Leontio Byzantino. Hi, licet imperitiſſimi, collectos ex Origenis voluminibus maximos quoſque errores in omnem diſperſerunt Orientem, quorum hæc ſumma eſt; *Ante corpus ipſum* (aiunt,) *anima eſt, quæ quidem in cælis peccata commiſerit. Ad hæc, Cælum, Solem, Lunam, Stellas, & aquas, quæ ſupra cælos ſunt, animatas, & rationales quaſdam virtutes eſſe.* Præterea *Quod in reſſurrectione corpora hominum rotunda, & orbiculari ſpecie excitabuntur: & quod omnium impiorum hominum, ipſorumque etiam dæmonum tormenta, finem habebunt.* Quod, *& impij, & dæmones in priorem ſuum ordinem, & ſtatum reſtituentur.* Inſuper, *quod pro dæmonibus quoque Chriſtum Crucifigi, atq; id ipſum ſæpius ſæculis futuris pati oportebit à ſpiritibus malignitatis, qui in Cælo ſunt.* Horum amentia, ne latius manaret in dies, id poſtulantibus *b* Monachis quibuſdam Hieroſolymitanis, Pelagio diacono, Vigilij Papæ apocriſiario, &

Mena

Mena Conſtantinopolitano Patriarcha, Iuſtinianus Imperator non modo ſanctiſſimis legibus Eutychianos, ſed etiam Origeniſtas ſæuiſſimo coercuit edicto, quod poſtea Patriarcharum omnium, & Vigilij Papæ potiſſimùm, ſuffragio comprobatum fuit; in quo præter alia illud habetur, *Ex Originis opuſculis Manetem, Arium, ac ferè pleroſq; omnes hæreticos, tamquam immanes feras ex caueis erupiſſe.*

Eam condemnationem haud parum dolenter audiuit *a* Theodorus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, quippe addictiſſimus Origeni, ſecta Acephalus, & Pelagio Diacono valde infenſus. Vt igitur quas poſſet Origeni, & Acephalis ferret ſuppetias, Iuſtiniano Imperatori, cuius gratiam, & familiaritatem ſibi conciliauerat, in primis ſuadet, ne tot ſe laboribus, curiſq; conficeret in Acephalis inſectandis, & Chalcedonenſi Synodo tuenda, facili negotio res poſſe componi, ſi Mopſueſteni libellos, Ibæ epiſtolam, & Theodoreti Anathematiſmos publico edicto damnaret, nec enim alias ob cauſas, aiebat, quicumque cum Eutyche faciunt, licet in varias ſectas diuiſi, a Chalcedonenſibus actis abhorrent, niſi quod primum ea Synodus

a *Liberat.* c.23.& 24

nodus

nodus Theodoretum, & Ibam propter hæreſim ſuis deiectos ſedibus, in eiſdem repoſuit: deinde quod Ibæ Epiſtolam Theodori laudem continentem, approbauit. His itaque ſi maculis expurgaretur, ſanctiſſimam Synodum ab vniuerſis receptum iri. Hæc Theodorus Iuſtiniano, & quidem mendaciſſimè, ſed & vaferrimè; nec enim Chalcedonenſis Synodus Theodoreto, & Ibæ, niſi poſt dignos pænitentiæ fructus, & publicam Fidei profeſſionem, Epiſcopi dignitatem reſtituit; nec Mopſueſteno honorem vllum haberi voluit. Cum enim de eo priuatim, ac proprie nihil tunc quæſitum fuiſſet, nec difinitum quidquam fuit: ſed ſi qua eius mentio facta eſt in ijs, quæ Ibas ſcripſerat, ea tantum hiſtoricè recitata ſunt, quomodo, & multæ priuatorum, & Epiſcoporum epiſtolę in Concilijs legi ſolent; nec enim parum differunt conciliaris diſquiſitio, & recitatio ſimplex, quia ſi de ſingulis, quæ recitantur iudicandum eſſet, in infinitum res abiret. Quocirca Theodorus Epiſcopus Cæſareæ mala fide cum Iuſtiniano agebat, nec vt Eccleſiæ pax redderetur, ſed vt Chalcedo-

nenſi

nenſi Concilio, quod expurgandum eſſe contendebat, fidem abrogaret.

Hæc igitur cum ſuis aſſeclis adnitebatur Theodorus; ſed obſtrepebant Neſtoriani, eo quod per Neſtorij libros cum nequirent venenum ſuum populis propinare, & malignitatem conceptam vel palam, vel pietatis, & religionis ſimulatione effundere, & diſſeminare, id conabantur efficere per ea, quæ Mopſueſtenus, Theodoretus, & Ibas ſcripta reliquerant. *a* Magnas igitur tunc altercationes, & contentiones excitarunt hæc tria capitula, Primum quidem de libris Theodori Mòpſueſteni, Alterum de Theodoreti Anathematiſmis aduerſus Cyrillum, Tertium de Ibæ Epiſtola; ea namque probabantur a multis, a pleriſque viciſſim vt impia reijciebantur. Iuſtinianus Imperator de ijs abſentes interrogauit Epiſcopos, qui per litteras ea capitula grauiſſimè deteſtati ſunt. Verùm poſt eam deteſtationem cum plurimi a defendendis tribus capitulis dimoueri non poſſent, auctoritate primum Vigilij *b* Papæ, cuius in ea re primæ partes erant, deinde Iuſtiniani Imperatoris hortatu, ea capitula ad

a *Quinta Syn. C.P. collat.1 in Epiſt. ad Iuſtinian. Imper.*

b *Epiſtol. Vigilij Papa, & Eutychij, Vigil. in quinta Synodo C.P. Coll. 1.*

ad Æcumenici Concilij diſquiſitionē deducta ſunt, ſicut & Acephalorum, & Origeniſtarum cauſa: quos ne vllo loco conſiſtere paterentur Epiſcopi, ipſorummet Epiſcoporum frequentiſſimo Senatu illos condemnari par erat. Itaque Iuſtiniani Imperatoris anno XXVII. poſt Conſulatum Baſilij anno XII. Conſtantinopolitana quinta Synodus indicitur. Adfuere Eutychius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, qui Menę demortuo ſucceſſerat, Apollinaris Alexandrinus, Domninus Antiochenus, tres qui Euſtachij Patriarchæ Hieroſolymitani vices gerebant; Videlicet Stephanus, Georgius, Damianus; *a* Hi omnes fuerunt centum ſexaginta quinque Epiſcopi. Vigilius Papa per id tempus Cōſtantinopoli verſabatur. Qui vt Synodo intereſſet etiam, atque etiam rogatus eſt, primum quidem a tribus Patriarchis, & ſeptemdecim Epiſcopis, id nomine totius *b* Concilij ſuppliciter orantibus: deinde a tribus Patricijs cum Epiſcopis ab Imperatore miſſis: nullis tamen precibus adduci potuit, vt a Maiorum ſuorum, qui Synodis *c* Generalibus abſtinuerant, conſuetudine recederet, eo præſertim, quod ex Apoſtolicæ ſedis dignitate non vide-

a *Zonar. in Iuſtin. Photius de VII. Synodis.*

b *Quinta Synod. C. P. Coll. 2. & 3.*

c *Leo Epiſ. 13. & 45.*

debatur eſſe, inter externos ferè Epiſcopos conſidere: paucos enim ſecum duxerat ex Italia, quippe qui non ad Synodum, ſed ad Imperatorem profectus fuerat. Prolixè tamen ſuam voluntatem, & aſſenſum pollicitus eſt rebus omnibus, quæ ſacro approbante Concilio legitimè definite forent.

Quæ ſimulac Synodus accepit, Patres in Secretario Concilium auſpicantur IV. Nonas Maij. Ac principio actum eſt de Theodoro *a* Mopſeuſteno: & in medium productis hinc eius libris, illinc Cyrilli, Procli, Rabulæ diſputationibus aduerſus eum, Anathema Theodoro Mopſeuſteno, eiuſque libris conclamatum eſt, definitumque, (quod tunc inter plurimos controuerſum erat) *Hæreticos etiam poſt mortem ab Eccleſia poſſe damnari* Itum deinde eſt ad Epiſtolam *b* Ibæ, & cum ea collatis Chalcedonenſibus actis, placuit; *Illam vt abhorrentem a recta fide, Anathemate notatam tolli de medio. Idem conſtitutum c in Anathematiſmos Theodoreti*, præter ea verò nihil, eo quòd cum Neſtorium palàm eiuraſſet, fuerat is a Leone, & a Chalcedonenſibus Patribus in communionem receptus. His peractis *Editi ſunt XIV. Canones*,

a *Collat.* 4. & 5.

b *Collat.* 6.

c *Can.* 13.

nones, quibus orthodoxa fides aduerſus Neſtorium, Acephalos, alioſque, qui ab Eutyche, & Seuero erant, explicata fuit. Atque hæc ſunt, quæ colliguntur ex Actis Quintæ Synodi, quæ ad nos peruenerunt.

Actum etiam fuit in hac Synodo de erroribus Origenis, *a* Didymi, & Euagrij: lectiſque Eulogij, Cononis, Cyriaci, & Pancratij Monachorum libellis, quos illi contra impietatem Origenis Synodo obtulerant, prolatiſque in medium ſcriptis, quæ aduerſus Origenem à Iuſtiniano edita, & a Vigilio Papa Confirmata erant, *Omnes Patres vno ore Origenis errores damnarunt, eiuſque impietatem communi ſuffragio deteſtati ſunt*.

Hanc porrò quintam Synodum grauiſſimis ſententijs approbarunt Romani Pontifices. Primum Vigilius, (cuius *b* auctoritate celebrata fuit:) deinde Pelagius, qui inſignem Epiſtolam in eius defenſionem ſcripſit: tum ſanctus Gregorius *c* Magnus, Nicolaus *d* primus, Leo *e* nonus, cęterique: Synodi quoque æcumenicę ſexta, ſeptima, & reliquę. Illam tamen Apoſtolica auctoritate confirmatam, Iuſtiniani Imperatoris etiam armatam præſidijs, non veriti ſunt pleriq; varijs *f* inceſſere Calumnijs, *Quòd a Calcedonenſi Synodo diſentiſſet*: *Quòd*

a *Niceph. li. 17. c. 27.*

b *Sexta Synod. Act. 18.*

c *In Epiſt. ad Narſet.*

d *Lib. 1. Epiſt. 24.*

e *Epiſt. ad Michael. Imper.*

f *Epiſt. ad Petrum Antioch. Ex Greg. li. 3. Epiſt. 2. 3. 4.*

Quòd innoxios aliquot Epiſcopos, etiam vita functos, vexaſſet immeritò; Quod tria capitula longo vſu recepta ſubſtuliſſet. Itaque tam latè diſſeminatum hoc malum fuit, vt non modo aliquot Epiſcopi ſeorſum illam repudiarent, ſed etiam priuata quædam Synodus ex Iſtriæ, Liguriæ, & plurium aliarum etiam Italiæ Vrbium Epiſcopi, atque in primis Paulinus *a* Aquileienſis, & Honoratus Mediolanenſis auſi fuerint eam Synodum decretis publicis execrari, non modò inconſulto Romano Pontifice, ſed etiam palam aduerſante. Quare coactus fuit *b* Pelagius agere cum Narſete Patricio, & totius Italiæ moderatore, vt tam perditam hominum peruicatiam Principis auctoritate compeſceret. Paulinum verò, & Honoratum nefarij Schiſmatis auctores militum cuſtodiæ traditos Conſtantinopolim mitteret. Ea res plus adhuc excitauit incendij, donec poſtea beatorum *c* Pontificum Gregorij, & Sergij ſanctiſſimis monitis, atque decretis ita ſedata res eſt, vt quintam Synodum qui reijciebant Epiſcopi venerarentur. Finis.

a *Pelagius Epiſt. ad Narſet.*

b *Beda l. de ſext. atat,*

c *Pelagius Epiſtol. ad Narſetem.*

d *Paulus diac. lib.4. c.4.*

ADNOTATIONES.

VIgilius Pontifex, ſub quo præfatum Concilium celebratum eſt, fauore Theodoræ Auguſtæ fuit in Sedem Apoſtolicam intruſus; ſed poſt obitum Siluerij per approbationem Cleri Romani Papa legitimè eſſe cæpit, & facta Fidei confeſſione, omniſq; hæreſeos execratione, euectus eſt in Thronum Pontificium, ad quem Iuſtinianus Imperator more maiorum per Epiſtolam Fidei confeſſionem miſit.

Hic Pontifex diebus feſtis proprias & conuenientes lectiones aptauit. Romanam Eccleſiam aliarum omnium Matrem, & Magiſtram haberi opotere pronunciauit vt notat Iſidor. in Vigilij vit.

Eiuſdem Pontificis temporibus Feſtum Purificationis B. V. Mariæ Cònſtantinopoli ob graſſantem peſtem inſtitutum.

HI-

HISTORIA SANCTI CONC. III. CONSTANTINOPOLITANI

Generalis Sexti.

A Chriſto nato anno DC.LXXXI.

DAmnata iam Eutychiana, & Acephalorum hæreſi, qui Sanctam Chalcedonẽſem Synodum oppugnabant, varia ex eadem Eutychetis impietate Monothelitarum ſcelera naſcuntur, qui cum palam duas in Chriſto naturas negare non auderent, duas in eodem voluntates, & operationes negabant, vt, quod apertè non poterant, occultè certe animas hominum ad priores Eutychetis errores traducerent. Fuit eorum Dux, & Auctor Theodorus Pharanita Epiſcopus, in ſermone ad Sergium Arſenoitarum Epiſcopum, vt affirmat *a* Sergius Tempſanenſis Epiſcopus teſtimonio Stephani Dorenſis Epiſcopi in Lateranenſi Synodo ſub Martino

Agaton. I. Sum. Pont. & Conſtant. Pogonat. Imp.

a *Lateran, Synod. ſecr. 2. & 3.*

tino primo. Hoc igitur malum, cuius architectus, vt dictum eſt, & machinator fuit Theodorus Pharanita ab eo manauit ad Sergium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Syrum hominem & in Iacobitarum conſortio, ac diſciplina educactum. Manauit quoque ad Cyrum *a* Pharidis Epiſcopum, nec non ad alios, atque in primis ad Athanaſium Iacobitarum Patriarcham, Syrum item genere, ingenio vaferrimum, animo a Chalcedonenſibus Decretis alieniſſimo. Is verò Heraclium Perſarum tũc ſpolijs, & victorijs exultantem Hieropoli conuenit, quem dùm Imperator e cæno ſtudet extrahere, in cænum ipſe præceps actus eſt. Ad Chalcedonenſem fidem hortatur Athanaſium, *b* ſpondet reſcipiſcenti Antiochenum Patriarchatum; ſimulat Athanaſius eſſe ſe eum, quem cupiebat Heraclius, duaſque Chriſti naturas profeſſus, viciſſim rogat Imperatorem, vnam ne an duas eſſe Chriſti voluntates, & actiones exiſtimet? ea de re nihil tum ſtatuendum putauit Heraclius, ſed Sergium Epiſcopum Conſtantinopolitanum abſentem, poſtea verò Cyrum Pharidis tunc Antiſtitem, de propoſita quæſtione conſulit. Perſua-

a *Epiſtol. Cyr. 6. Syn. Act.* 13. *Later. act.* 3. *& Epiſt. Serg. eodẽ ſecret.*

b *Auctor Hiſt. Miſc. lib.* 18. *Cedren. & Zonor. in Heracli.*

ſuaſerunt ij vnam volūtatem, vnamq; actionem Heraclio, qui etiam eam ſententiam publico peruulgauit edicto, quam Ecthesim *a* nominarunt. Cyrus deinde tamquam in pretium ſceleris, in Georgij demortui Alexandrini Epiſcopi locum ſuffectus, *b* communicatis cum Theodoro Pharanita conſilijs, nouem capita cum Anathemate promulgauit: in quorum ſeptimo hæreſim hanc acerrime tuetur, ſeueriſſimum, ijs qui diſſentirent Anathema, comminatus. Neque ſegnior Conſtantinopoli Sergius, *c* coacta Synodo ſuorum Epiſcoporum, quibus idem venenum malis artibus inſtillarat, Ecthesim & Imperatoris auctoritate, & Epiſcoporum ſubſcriptionibus communitam, toto inſpectante populo, primarij templi foribus affixit; quocirca per omnem Ægyptum, & Conſtantinopolitanam ditionem id malum eſt latiſſimè diſſeminatum.

a *Later. Synod. Secret.* 3.

b *Auctor hiſt. Miſc. Cedr. loc. c. Later. ſecr.* 3. *Sext. Syn. Acti.* 13.

c *Later. ſecret.* 3.

Horum ſacrilegos motus, & conatus non parum repreſſit Sophronius *d* ſpectatiſſimæ religionis Monachus, ſcriptis primum ad Cyrum, & Sergium Epiſtolis: deinde cum ad Hieroſolymitanam ſedem eſſet euectus, ſuorum habuit Epiſcoporum Concilium; quo Monothelitarum

d *Hiſt. Miſcel. Cedr. & Zonor. loc. cit.*

noua ſtudia, & fraudes, quibus perniciem orthodoxis populis moliebantur, enunciauit, & enunciata damnauit. Id verò moleſtè ferens Sergius *a* ad Honorium Romanum Pontificem nomen Sophronij detulit, quod nouis duarum voluntatum, actionumque nominibus totum miſceret Orientem; nec parum offenderat Acephalos, qui meliora per id tempus, quàm vnquam antea, conſilia, & ſaniorem mentem præſeferebant, Sergio, Cyro, & Sophronio ita reſcripſit Honorius? vt nihil aliud tunc ſpectaſſe, videretur, quàm vt nouas quæſtiones diſcordiæ, ac ſeditionis plenas reſecaret. Quam Pontificis prouidentiam ſui erroris approbationem eſſe, interpretati Monothelitæ, in ſuarum partium patrocinium Romani Pontificis nomine abutebantur.

Sed cum Honorio Seuerinus, Seuerino Ioannes quartus ſucceſſiſſent, hic per litteras ab Heraclio de Monothelitarum ſecta certior factus, indicta Romana Synodo, illorum decreta reſcidit, atque vt Imperatorem ab eorum communione deduceret, ſedulo laborauit. His permotus Heraclius (vt ſanctus Maximus affirmat) *c* edicto ſe liberauit

a *Epiſt. Serg. ad Honor. Sext. Syn. Epiſt.* 12.

b *Auctor. hiſt. Miſc. & Cedren. vbi ſup.*

c *Ex geſtis S. Maximi, quæ extant in Cod. Vatic.*

uit omni Eccleſiaſtica reprehenſione, atque hæc ſcripſit. *Ecthesis mea non eſt, nec ego dictaui, aut fieri iuſſi: Verum cum Sergius Patriarcha quinque ante annis, quàm ab Oriente redirem, eam condidiſſet, orauit me, poſtquam ad hanc felicem Vrbem adueni, vt nomine meo promulgaretur cum ſubſcriptione; eius hortatu id feci. Nunc verò cum cognouerim eam a nonnullis oppugnari, declaro ad omnes non eſſe meam.*

Poſt hæc Heraclio quidem *a* Cōſtātinus Filius, Sergio autem Cōſtantinopolitano Epiſcopo Pyrrhus ſucceſſit eiuſdem cōtagionis, & amentiæ ſocietate notiſſimus: qui propterea, quod veneno Conſtantinum Martinæ nouercæ gratia ſuſtuliſſet, in Africam relegatus, & inibi Maximi *b* Sanctiſſimi monachi opera, ac diſputatione Catholicam edoctus diſciplinam, ad Theodorum Romanum Pontificem, qui Ioanni quarto ſucceſſerat, eſt adductus. Romę verò quum Theodoro libellum, quo omnem deteſtabatur hæreſim, obtuliſſet, *c* in communionem a Pontifice receptus eſt. Verum idem Pyrrhus vix ab Vrbe digreſſus, virus, quod Romæ vomuerat, Rauennæ iterum hauſit. Quamobrem deſertorem illum, ac transfugam Theo-

a *Auctor hiſt. Miſc. l.18. Cedr. & Zonor. in Conſt.*

b *Auctor hiſt. Miſc. vbi ſupra.*

c *Hiſt. Miſcel. vbi ſupra. Anaſt. in Theodor.*

dorus Pontifex toto conclamante Clero, ad Sepulchrum Principis Apoſtolorum condemnat, & honore abdicat Sacerdotali. *a* Stephanum quoque Dorenſem Epiſcopum iubet Orientem perluſtrare, atque Apoſtolica auctoritate Monothelitarum impetus coercere.

a Inſugeſt. Steph. Doren. Later. Secret. 2.

Per id tempus Conſtans Conſtantini filius, & Heraclij nepos nihilo minùs impietatis, quam Imperij hæres, *b* Paulum Monothelitam in Conſtantinopolitana ſede collocat. Is verò fretus Imperatoris præſidio, tamquam Singularis ferus, vineam Domini depaſtus eſt, diffuſo in Africam vſque malorum incendio, quod tamen confeſtim eſt oppreſſum, ac propè reſtinctum *c* vigilantia paſtorum Numidiæ, Mauritaniæ & Bizazenæ prouinciæ. Qui & multis locis Synodos habere, & plebem in Patrum traditionibus confirmare, & Monothelitarum errores explodere ſtudijs omnibus inſtitere. Sed & frequentibus, & grauiſſimis Epiſtolis, tùm Conſtantem Imperatorem, & Paulum Epiſcopum ſui muneris admonuere, tùm Thodorum Pontificem Romanum etiam, atque etiam rogarunt, vt ſeuerififlimis decretis, & animaduerſio-

b Zonor. in Conſt. hiſt. Miſc. vbi ſupra.

c Epiſtol. Epiſc. Affr. Later. Sec. 2.

ſionibus, hæreticorum frangeret audaciam. Theodorus igitur Paulum in dies magis inſanientem, & contra orthodoxorum Antiſtitum monita calcitrantem, & ſeuero notat Anathemate, & Conſtantinopolitano *a* priuat Epiſcopatu. Ille verò vehementius ea re furere, ac debacchari; Nam, & Romanos Apocriſiarios, qui Iuregentium, Sacroſancti ſunt, & inuiolabiles, virgis cæſos in exilium eijcit, & Altare, quod Conſtantinopoli dicatum erat Sacrificijs Romano ritu obeundis, funditus euertit.

a *Later. ſeſſ.* 1. *Anaſtaſ. in Theod. Auctor vitæ. S. Martini Papæ apud Surium tom.6,*

Ea ſcelerum atrocitate commotus Martinus primus Theodori ſucceſſor religioſiſſimus, Concilium in Laterano coegit, *b* tum, ad audiendas Stephani Dorenſis Epiſcopi querelas, nomine Sophronij Hieroſolymitani Epiſcopi, iam vita functi, tum ad vniuerſam Monothelitarum cauſam cognoſcendam. Conſidentibus igitur quinque ſupracentum Epiſcopis, qui ad eam Synodum conuenerant; publicè recitati ſunt complures libelli aduerſus hæreticos oblati: recitatæ Monothelitarum homiliæ, ſermones, & opuſcula; recitatæ Sanctorum Patrum ſententiæ, nouo, ac

b *Later. Secret.* 1. *& ſeqq.*

ſacrilego dogmati verbis diſertiſſimis repugnantes. His omnibus diligenter expenſis, celebratiſq; ſecretarijs, ſeu conſultationibus quinque. *Duæ Chriſti Domini voluntates, duæ item actiones, frequentiſſimo conſenſu ſancitæ ſunt,* a *ac per viginti Canones explicatæ; reiecti quoque in hæreticorum numerum Theodorus Pharanita, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus Conſtantinopolitani Epiſcopi. Damnata item Heraclij Ecthesis, ac Typus,* b *qui, vt veluti fidei forma ad Eccleſiæ valuas penderet; Paulus auctor fuerat.*

a *Later. ſecret.* 5.

b *Martini Epiſt. ad Amand. Synod. Later. ſecret.* 1. 4. & 5.

Tantum, ac tam excelſum Pontificis animum, tam ſingulare ſtudium reſtituendæ Religionis ferre non potuit Conſtans nequiſſimus Imperator c Itaque non modò Maximum religioſiſſimum, doctiſſimumque Monachum, & fortiſſimum Martini in eo certamine adiutorem, ac ſocium, duoſque Anaſtaſios Maximi Auditores crudeliſſimo affecit ſupplicio: ſed etiam Martinum Pontificem, primò per Olympium Exarchum, deindè per Theodorum Calliopam capi iuſſit, captum Conſtantinopolim perduci: indè in Cherſoneſum relegat, vbi varijs incommodis, ærumniſque confectus diuturno quodam

c *Hiſtor. Miſcel. lib.* 19. *Mart. Papæ Ep.* 14. *& ſeqq. Auctor vitæ Sanct. Martini Anaſt. in S. Martino Cedren. & Zonor. in Coſtante.*

dam Martyrij genere, Pontificatum ſuum illuſtrauit, & clauſit, quamplurimis etiam miraculis clarus. Nec ita multo poſt, cum omnibus inuiſus Imperator in Siciliam profectus eſſet, Andreas Troili filius, ei ſicula grauiter impacta, caput eliſit in balneo, *a* atque hoc vitæ exitu calamitoſo Conſtans ſempiternas apud Inferos pœnas miſerabiliter inchoauit.

a *Cedrem, & Zonor. & auctor. hiſt. Miſc. loco cit.*

Conſtanti ſucceſſit Conſtātinus cognomento Pogonatus, orthodoxæ religionis amantiſſimus, qui vt domeſticam, ac veluti hæreditariam maculam deleret, egit primum cum Dono *b* ſummo Pontifice, deindè cum Agathone eius Succeſſore de œcumenico Concilio Conſtantinopoli cogendo, præſidentibus Apoſtolicis Legatis. Annuit *c* Agatho ſuamque adhibuit auctoritatem: Habita igitur Romæ Synodo centum, & viginti Epiſcoporum, Legatos, qui eius nomine Concilio præeſſent, Conſtantinopolim quatuor miſit, Theodorum, & Georgium Presbiteros, Ioannem diaconum, & Conſtantium Hipodiaconum, datis & ad Imperatorē & ad Synodū egregijs, eruditiſſimiſq; litteris: quibus orthodoxam fidem clariſſimis ſacrorum voluminum, Patrumq;

b *Coſtantini Epiſt. ad Donū Papam.*

c *Anaſt. in Agath. & 6. Syn. Actor. 4.*

ſententijs, ac traditionibus explicabat. *a* Conuenerunt in eam Synodum Conſtantinopolitanam Ioannes Portuenſis, Abundantius Paternenſis, & Ioannes Rhegienſis Epiſcopi nomine Romanæ Synodi ſub Agatone. Adfuerunt itidem tres Orientis Patriarchæ, Georgius Conſtantinopolitanus, Macarius Antiochenus, Petrus Alexandrinus, Georgius item presbiter Hieroſolymitanæ Eccleſiæ nomine; & cum his Epiſcopi quam plurimi, de quorum numero non ſatis conuenit inter ſcriptores. Nam aliqui Epiſcopos tantum, qui Synodo interfuere, recenſere videntur, qui centum, ac ſeptuaginta circiter fuere; alij verò multo plures, nimirum vſque ad ducentos & ſeptuaginta nouem fuiſſe affirmant, eos fortaſſe addentes, qui Romanæ Synodi Epiſtolæ ſubſcripſerunt, qui per Legatos tamquam in hac Synodo præſentes habebantur.

a Sexta Syn. Act. 1. & ſeqq. hiſt. Miſc. lib. 19. Anaſt. Cedren. & Zonar. loc. cit.

Igitur anno vigeſimo ſeptimo Imperij Flauij Cōſtantini Auguſti poſt eius conſulatum XIII. ſeptimo Idus Nouembris in Palatij ſecretario, cui Trullo nomen erat, Imperatore, & Sacri Palatij Magiſtratibus præſentibus, omnes Epiſcopi ad Fidei normam firmiter ſanciendam incenſiſſimis

mis ſtudijs conſedere, *a* ac primum *b* Monothelitæ multa pro ſuo dogmate proferre in medium: quædam perperam interpretari, alia deprauare, affingere non nulla abſurdiſſima, pleraque veris quibuſdam permixtis, honeſtare: quibus impoſturis, ac dolis facile agnitis, ac reiectis, a Synodo, Apoſtolicisque Legatis prolatæ ſunt Agathonis primum, deinde Romanæ Synodi *c* Litteræ, *Quibus* (quod ſincerum, germanumque Euangelicæ pietatis odorem afflare viderentur) *ab vniuerſa Synodo* d *acclamatum eſt tamquam Beati Petri Apoſtolorum Principis ore pronunciatis, & Agathonis manu ſtyloque exceptis*. *e* Hic Theodorus Melitenæ Vrbis Epiſcopus, imperitus ne magis an imprudens! ſuppliciter poſtulat, vt ne quid de duabus voluntatibus ſtatuatur; Vrgent viciſſim Patres, *Vt is magiſtros prodat, a quibus blaſphemare didiciſſet*: vrgentibus prodit quorumdam crimen, ac fraudem; Tunc etiam Macarij Antiſtitis Antiocheni detecta, hæreſis, quem coniectis in eum protinus omnium oculis, Rogat Imperator, *Vt quid de ea re ſentiat expromat*. Is verò, malis videlicet artibus inſtructus, *Chriſti voluntatem, atque actionem* θεανδρικὴν, hoc eſt, *Deiuirilem*

a *Act.* 1.
b *Act.* 2. & *ſeq.*
c *Act.* 4.
d *Act.* 8. & *Epiſtol. Synod. ad Agath.*
e *Act.* 8.

eſſe affirmat, duas verò nequaquam. Conati ſunt Legati, & Patres pleriſq; ſanctiſſimorum Doctorum prolatis teſtimonijs, hominem ab errore, amentiaq; deducere; cum nihil *a* proficerent, opponente illo teſtimonia fucata veris, corrupta ſinceris: *Anathemate perculſum ab Antiochena ſede deturbant, ſuffecto in eius locum* b *Theophane Siculo, viro ſpectatæ probitatis, ac fidei.* c *Tum concors, ac dirum conclamant Anathema Monothelitis omnibus, eorumque auctoribus & in his* d *Polycronio* perditiſſimo homini, qui ad confirmandam, amplificandamque Monothelitarum ſectam, hominem magicis cantionibus, ac veneficijs mortuum vitæ reſtituere conatus fuerat. Condunt deinde *e* Patres Catholicam Fidei formulam, qua duas Chriſti voluntantes, duas actiones humanam, ac diuinam indiuiſè, atque inconfuſè prædicant: humanam verò voluntatem, non modo diuinæ nihil obluctantem, ſed obſequentem, atque omninò ſubiectam: ad hæc, ea decreta ſuis quiſque ſubſcriptionibus roborant: *f* quæ Fidei formula coram Imperatore iterum lecta eſt. Hic etiam Imperator Patribus, & viciſſim Imperatori Patres egere gratias, pre-

a *Epiſtol. Conſtant. Imper. ad Leonem Pap.2.*

b *Zonor. & Cedren. in Conſt.*

c *Sext. Synod. Act.16.*

d *Act.15.*

e *Act.17.*

f *Act. 18.*

precantibus vniuerſis ſecuritatem, & ſecundis in rebus gerendis exitus, tam pio, ac religioſo Principi: Denique in Vrbem mittunt *a* Macarium, alioſque publicè exauctoratos, vt eorum cauſa ab Agathone recognoſcatur: & vnanimi in primis conſenſu ab eo precantur *b* vt Synodum, eiuſque Canonicas ſanctiones Apoſtolica auctoritate confirmet. Accedit his omnibus præclarum Imperatoris edictum, *c* quo grauiſſimis verbis imperat; *Vt ſacroſanctam ſextam Synodum caſtè, pièque amplectantur vniuerſi, & in eos, qui ſecus egerint pœnas conſtituit.* Ceterum priuſquam ſiue Imperatoris, & Synodi Epiſtolæ, ſiue ipſa Synodus ad Vrbem perferrentur, ſuum iam diem Agatho Pontifex obierat. Eius tamen ſucceſſor *d* Leo ſecundus, huius Synodi Acta, & decreta omnia beati Petri auctoritate confirmauit. Eamdem Synodum venerata eſt itidem Toletana quartadecima Synodus ſub eodem Pontifice celebrata; eamdem confirmarunt & œcumenicæ Synodi Septima, & *e* Octaua; *f* confirmauit & Leo nonus in Epiſtola ad Petrum Antiochenum. Circumferuntur autem nonnulli Canones nomine ſextæ Synodi in Trullo, ve-

a *Epiſtol. Conſt. ad Leonem.*
b *Epiſtol. Synodal. ad Agat.*
c *Sext. Synod. Act.* 18.
d *Anaſt. in Leone* 2.
e *Act.* 7. *in definit.*
f *Act.* 10.

rumtamen editi ſine Legatis Apoſtolicæ ſedis, neque ab ea comprobati: in quibus, & nonnulla ſunt, quæ minus Apoſtolicam ſapiunt traditionem, de quibus in fine Concilij Romæ Impreſſi anno 1628. plura dicuntur. Finis.

ADNOTATIONES.

Canones poſiti ſub nomine ſextæ Synodi æcumenicæ ſunt 103. Quos tamen, vt approbarent, neque Sergius Pp. per vim, nec Ioannes VII. nec Conſtantius Pontifices per fraudem aut blanditias, pro vt monothelitæ expectabant, ab Imp. induci potuerunt. Hoc tempore Bulgari ex Septentrionalibus Euxini ponti partibus oriundi, & a Bulgà flumine Bulgari dicti, primam irruptionem in Thraciam fecerunt; cum quibus Imperator Conſtantinus Pogonatus, iniquis conditionibus, pacem tranſegit, vt paccatum tempus celebrandi Generalis Concilij haberet. Et in odium hæreſeos expulit de Epiſcopali ſede Theodorum hæreticum Monothelitam, qui eò temeritatis deuenerat, vt deleuerit, & abraſerit de ſacris Dyptichis nomina Romanorum Pontificum, nec poſt Honorium alium deſcribi paſſus ſit, ſpreto Imperatoris iuſſu.

Baronius. ann. 691.

HI-

HISTORIA
SANCTI CONC.
II. NICÆNI
Generalis Septimi.

A Christo nato anno DCCLXXXVII.

Adriani Pap. I. Conſtantino IV. & Iſacio Impp.

IN Arabia fuit, Imperante Leone Iſaurico, Iudæus quidam Sarantapechijs a veneficus, ac prę-ſtigiator inſignis; is vt odium iamdiù conceptum aduerſus Chriſtianos exaturaret aliquando, Exidum Arabum Regem, cuius leuiſſimum eſſe norat ingenium, adit: vaticinandi illi artem oſtentat, diuturnum ſpondet Imperium, ſi ex Chriſtianorum templis, totiuſque Regni ſui finibus ſacroſanctas imagines detrahat. Homo vaniſſimus vaniſſimum vaticinium haud ſurdis accepit auribus: Imagines omnes ſiue in templis, ſiue in foro eſſent, reuelli, ac perfringi iubet. Cumque imperata facere nollent Chriſtiani, ſatellites Hebræi, atque Arabes ala-

a Sept. Synod. Act. 5. Auct. hiſt. Miſcel. lib. 21. Zonor. & Cedren. in Leon.

alacriter perfecere. Ceterum fallax vaticinium nulli magis, quàm vel vaticinanti, vel obſequenti fuit exitio. Nam, & Rex ipſe poſt ſeſquiannum interijt, & Vlidus eius filius, atque hæres Hebræum vatem, vt Patris interfectorem de medio ſuſtulit. Euerſarum Imaginum, atque inauditę impietatis fama Chriſtiani nominis Prouincias breui peruagata eſt; omnibus tantum facinus execrantibus. Quamquam in quorundam animis malè alioquin affectis facilè facti huius exemplum, & crimen inſedit *a* Imperatoris potiſſimum, & *b* Theophili, qui Nacoliæ erat Epiſcopus; ſed & vtrique non leue calcar acceſſit ex conſuetudine cuiuſdam *c* Beſeris, qui ex Chriſtianis ortus parentibus, cum captiuus in Syriam eſſet abductus, ex Arabum conſortio Mahometanis ſuperſtitionibus imbutus eſt, Tùm libertate donatus cum ad Romanorum ditionem rediјſſet, primò familiariter egit cum Theophilo, deinde ſe in gratiam Imperatoris penitus inſinuauit. Beſeris, & Theophili inſinuationibus incitatus Leo, ac multo magis adactus iureiurando, quo id ſpoponderat hebræis quibuſdam, *d* qui ei prædixerant Imperium, deteſtabile bellum

a Auct. Hiſt. Miſc. loco cit.
b Germa-niad Ioān. Epiſtol. in Synod. 7. Act. 4.
c Auctor. Miſcel. vbi ſupra.
d Cedren. & Zonar.

bellum ſacris indicit Imaginibus: neque eas ex templis tantum, & priuatis ædibus deijcit, & abradit, ſed etiam peruetuſtæ, magnaque religionis Statuam Saluatoris, quæ ad æneam Vrbis portam in excelſo, illuſtrique loco diutiſſimè ſteterat, vi, ferroque deturbat. Stomachantur, qui aderant: percellitur tam acerbo nuncio ciuitas: ad *a* arma concurritur: Regij diſcerpuntur apparitores, & adminiſtri. Fremit Imperator accepta iniuria, & natura ferox, ac truculentus, ferinam exardeſcit in rabiem: publico edicto omnem Imaginum cultum abrogat; cultoribus interdicit aqua, & igni, alios ſpoliatione bonorum multat, alios in exilium eijcit, alijs abſcindit manus; alios crudeliter iugulat; totam denique rempublicam, velut immaniſſimus verè Leo, lacerat, & cruentat. Aggreditur dein ſapientiſſimum *b* Doctorem; cui præſtans omnium diſciplinarum ſciētia, & ſpectata morum integritas, & duodecim contubernalium modeſtia, quos Eccleſiaſticorum, diuinorumque inſtitutorum collegas, & ſocios habebat, venerationem apud omnes iuſtiſſimam conciliauerat, vt eos non modo permulti doctrinæ, ac ſapientiæ cauſa con-

a *Hiſtor. Miſcel. & Cedren.*

b *Zonor. Cedren. & hiſt. Miſc. vbi ſupra.*

uenire ſolerent, ſed ipſi etiam Imperatores in rebus gerendis conſulerent. Hos igitur Leo diſputationibus primò, & priuatis collocutionibus in ſuorum errorum ſentinam pertrahere ſtudet. Verum eorum deinde inuicta Conſtantia repulſus incluſos in ædes eis ad habitandum attributas, vnà cum inſtructa Bibliotheca, noctu imperat concremari. Sanctorum præterea deprecationes irridere, loculos perfodere, reliquias fœdare: neque homines, neque Deum vereri. Nec erat, qui efferato Leoni ſeſe auderet obijcere, præter vnum Germanum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, cuius eximiam ſanctitatem, venerandam canitiem, & ſingularem in conſeruandis ouibus vigilantiam, colebant vniuerſi. Lugebat is calamitatem Eccleſiæ, & quacumque ratione poterat Imperatoris impetum retardabat. Scripſit etiam ad Theophilum *a* Epiſcopum tot ſcelerum, & conſcium, & auctorem, hortatur, vt ab incæpto deſſiſtat: ſuæ, ſuorumque ſaluti proſpiciat redeat ad maiorum traditionem. Subdolè ſimulat ille eſſe ſe, qui non erat, verſutèque reſcribit, daturum ſe operam deinceps, vt dicto, factoue offendat neminem: Miſſis etiam ad alios Epiſcopos litteris

a Hiſtor. Miſcel. Cedren.

litteris *a* Germanus, vehementer eos rogat, vt fidem a maioribus traditam retineant, has ob cauſas Germanum Imperator grauiter oderat, erumpentem tamen iram præmebat, veritus eius inſignem virtutem, magnamque de eo orthodoxæ plebis exiſtimationem; ergo accerſitum *b* blandè compellat; ac velut aliud agens, accuſat ſuperiorum temporum imperitiam, & Sacerdotes, qui fatue populos imaginibus colendis adduxerant. Sapienter Germanus furentem demulcere ſtudet, explicat eius rei vtilitatem, & Eccleſiæ conſuetudinem ab Apoſtolis vſque deductam. Hìc vero excanduit Imperator, atque Antiſtitem minis, & contumelijs oneratum Regia expulit; Nec pepercit Ioanni *c* Damaſceno humanarum, diuinarumque rerum eruditione florentiſſimo; etenim ei, quòd de religioſo Imaginum cultu, non minus piè, quàm doctè ſcripſiſſet, deſtera eiuſdem Leonis fraude, & opera a Saraceno Principe præciſa eſt; quam tamen diuinitus reſtituit clementiſſima Dei mater, ad cuius ille imaginem, velut ad Sacram Anchoram, pijs fletibus, & ſupplici fide confugerat.

Gregorius ſecūdus Romanus Pōtifex

a *German Epiſtol. ad Ioann. & Thomam. in 7. Syn. Act. 4.*

b *Auctor. Miſcel. & Cedren. loc. cit.*

c *Surius tom. 3. in Vita S. Ioann. Damaſc.*

ſex, cum ea, quæ Conſtantinopoli gerebantur, accerbiſſimè ferret, coacta Romæ *a* Synodo, eo ſtudio quod paſtorem, ac patrem decet per litteras Imperatorem commonefacit, Deſinat aliquando Eccleſiam perſequi: non eſſe Imperatoris partes de diuinis, ſacriſque rebus iudicare, multo minus Apoſtolicas traditiones, quas omnes vetuſtas piè ſemper eſt, ac ſanctè venerata, conuellere. His, alijſque ſalutaribus monitis reſtitit Leo; Aſpidem ſurdam potius, quam hominem diceres. Germanum quoque Imperator Conſtantinopolitano deijcit throno, Anaſtaſium ſufficit hominem ſceleſtiſſimum; quo circa illum tandem Gregorius Pontifex, & Apoſtolici Anathematis mucrone vulnerat, & Italiæ ſpoliat Imperio, abactis, interceptiſque Italorum annuis vectigalibus, quæ ad id tempus Principibus Conſtantinopolitanis pendebantur. Leo verò ingentem claſſem, qua, & Gregorium, & Italiam diuexaret inſtruxit, cui ſuppeditari ſumptum iuſſit ex cenſu per capita Siculis, & Calabris impoſito: Eccleſiæ verò Romanæ Patrimonium, quod in his erat prouincijs, in ſuum retulit ærarium; ſed vltor tot facinorum Deus immanis

a *Gregor. ſecund. in Epiſt. 1. & 2. ad Leon.*

manis tyranni claſſem, magnis iactatam procellis, ad littus Adriatici Maris obtriuit.

Gregorio ſecundo tertius ſuccedit, qui vt laboranti Eccleſiæ afferret opem, quam poſſet, ad Leonem mittit *a* Gregorium Eccleſiæ Romanæ Presbiterum cum mandatis Apoſtolico munere, vigilantiaque digniſſimis: quæ tamen is Imperatori non reddidit, quippe eius primum minis deterritus, deinde fraudibus eluſus, denique annuo damnatus exilio. Cuius rei indignitate commotus Pontifex euocatis in Vrbem Epiſcopis quam plurimis, ante B. Petri Confeſſionem, tota approbante Synodo, oppugnatores Imaginum ab Eccleſiæ communione, vt peſtem, ac perniciem Chriſtiani Orbis exſecuit. Poſtea iterum conatus Leonis animum delinire miſſis per Conſtantinum defenſorem Epiſtolis; Verum is tabellarius in vincula coniectus, & diuturno fœtore, ac fame cruciatus, vix tandem Imperatoris manus effugit. Multis tum calamitatibus, tamquam telis è Cælo miſſis Leonis res acciſæ ſunt. Nam *b* Ciuitatum defectionibus, & armis turbata fides erga Imperatorem, peſtilentia, & belli cladibus miſerabilis

a *Anaſt. in Gregor. Tertio.*

b *Cedren. & Zonar. in Leon.*

rabilis

rabilis vaſtitas conſecuta, ſed nihil horribilius terræmotu, qui duodecim *a* menſes regiam concuſſit Vrbem, proſtratis non modo priuatis ædibus, Monaſterijs, templis, ſed etiam publicis mænibus; quorum cum nihil Leonis amentiæ mederi potuiſſet, tandem diris afflictatus torminibus, inter angores & eiulatus, impiam animam exhalauit. Leoni ſucceſſit filius Conſtantinus, quem Copronymum propterea cognominarunt, quòd *b* cum Baptiſmo infans expiaretur, ſacrum lauacrum inquinauit. Eo portento territus Germanus Patriarcha prędixit, *Rempublicam, & Eccleſiam huius aliquando flagitijs polluendam*; prædictionem comprobauit euentus, *nam ſi flagellis Leo, Scorpionibus Copronymus cecidit Eccleſiam*, homo natus ad euertendam omnem, quod in ipſo fuit, religionem; Sacrarum rerum, & ceremoniarum, quarüm pius cultus in Dei cultum redundat, contemptor impudentiſſimus; ludis circenſibus, victimis exſecandis, euocandis malis genijs, ac manibus, alijſque id genus veneficijs, apprimè deditus. Qui vt ſui Principatus initia bonis videlicet auſpicijs conſecraret, generali ſtatim vetuit

a *Auctor hiſt. Miſc. in fin. lib.* 21.

b *Cedren. in Leon. & Auct. Miſcel. lib.* 21.

vetuit edicto, grauiſſimis impoſitis pœnis, *Ne quis aut eos, qui religioſiſſimo Dei famulatu excelluerunt, Sanctos cognominaret, aut eorum reliquias veneraretur, aut tanquam patronos, aut deprecatores imploraret, quòd eos nihil poſſe diceret, ne Deiparam quidem Virginem, quam ne illo quidem cognomine, voluit appellari*: Quin etiam ſumptis in manus aliquando loculis auro plenis, ex his, qui aderant, ſciſcitatus eſt, quanti eos æſtimarent? cum reſponſum eſſet magni; vacuos eoſdem deinde oſtendit, percontatus, quanti eos licitarentur? cum reſponſum eſſet Nihil. a *Ita* inquit, *Maria quoque, dum Chriſtum geſtauit vtero, in honore fuit, poſtquam eum peperit, nihilo ceteris mulieribus præſtitit*. Eam igitur impietatem ciues grauiter ferentes, Artabaſdum Curopalatem Copronymi affinem b è ſororis coniugio, qui contra ipſum Copronymum arma ſumpſerat, Imperatorem deſignant; Beſerem tot malorum authorem, atque incitamentum trucidant; Sacras imagines ſuis reſtituunt locis; Copronymum Anathemate, conuitijs proſciſſum, exuunt Imperio; eiuſque loco

lo-

a *Zon. in Conſtant. Auct. Miſcel. lib. 21 in fin. Cedren. vbi ſupra.*

b *Auct. Miſc. l. 22. Zoner. & Cedren. in Copron.*

loco Curopalatem Auguſtum conſalutant. Verum vſura gratulationis huius breuiſſima fuit. Collectis enim mox viribus Copronymus, Vrbem terra, marique obſedit, eaque in deditionem compulſa, Curopalatem etiam in ſuam redigit poteſtatem, eique occulos effodit; filios autem grauibus iactatos ærumnis, capite damnat, ne quis ex tam illuſtri familia veræ religionis vindex, relinquatur. Crudeliter etiam deſæuijt in perduelles ceteros; aliorum fortunas prædam Militibus expoſuit, alios patribus expulit ſedibus, alios præciſis prius manibus interemit. At verò ne qua re rabidis feris eſſet abſimilis, in familiares etiam, ſuæq; hæreſeos ſectatores deſæuijt, & in his præcipuè Anaſtaſium PſeudoPatriarcham, quem aſello præpoſterè impoſitum, & virgis cæſum, & per Vrbis plateas ludibrio habitum, rurſus in priſtinum Thronum collocauit, ſed paulo poſt hic ipſe Epiſcopus, qui inter concionandum Sanctorum gloriam conuitijs proſcindere conſueuerat, morti proximus, per os egerere ſua ipſius excrementa coactus eſt. Inſtitere tres deinceps *a* Romani Pontifices, Zacharias, Stephanus, & Paulus totidem Synodis Romæ ha-

a Anaſt. in vita horum Pontificum, & Adrian. in Epiſtol. ad Conſtant. & Iren.

habitis, litteris, cohortationibus precibus, alijſque remedijs perditi hominis curare dementiam. Copronymus verò, nec vllum ſanctiſſimis Paſtoribus honorem habere, nec Diuinum numen vereri, nec ignominijs vllis aduerſus Sanctos parcere; Immo verò vt ſuæ ſectæ nomen, & dignitatem amplificaret, *a* Synodi cuiuſpiam auctoritate CCCXXXVIII. Epiſcopos, quorum anteſſignani erant Theodoſius Epheſi, & Pallas Pergiæ, homines audaces, & impij, Conſtantinopolim euocauit: per quos, vt quæcunque, ei libuiſſet ſine vllo metu ſtatueret. Nihil ea de re actum eſt cum Apoſtolica ſede, nullus Epiſcopus ex catholicis, ac primarijs ſedibus, Alexandrina, Antiochena, Hieroſolymitana eſt accerſitus, nihil ordine ſuſceptum, factumque nihil, in tanto cætu aliud reſſonat, quàm aduerſus Imagines impudens, ac veſana conclamatio. Præficitur Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Conſtantinus Monachus, homo nefarius: decurritur in forum: adeſt Imperator, adſunt, & Epiſcopi cum Patriarcha Conſtantino: omnis interdicitur Imaginum honor, ac veneratio: indigno feriuntur Anathemate Germanus, Georgius

a *Auctor. hiſt. Miſc. Zonor. & Cedren. vbi ſupra.*

Cy-

Cypri Epiſcopus, Ioannes Damaſcenus acerrimi propugnatores. Sed cum Conſtantinopolitanam hanc Synodum Stephanus Pontifex abrogaſſet Romana Synodo *a* Copronymus ad ſuæ Synodi *b* ſubſcriptionem Epiſcopos, & Monachos vniuerſos adigere conatus eſt. Verum reſtitit eorum optimus quiſq; nec hominis tyrannidem timuere iam iam piorum ceruicibus imminentem, ſed lubentibus animis excepere ſibi oblatam facultatem bibendi Calicem Domini, & lauandi ſtolas ſuas in ſanguine Agni. Atque inter hos in primis claruere Andreas Calybites, *c* eximiæ pietatis Monachus, cui flagrorum vi diruta cutis eſt, & dum traheretur per Vrbem, pede amputato, Martyrium conſumauit. Prætereà Petrus vir grauiſſimus, qui vinctis per plateas pedibus tractus, & in mare demerſus eſt: Stephanus Heremitarum dux, & magiſter, *d* qui complures annos clauſtro incluſus traduxerat, is exemplo prioris Stephani, ſuſtibus & lapidibus toto corpore dilaceratus, & in altiſſimam foueam inter reos, damnatoſque proiectus: Monachi *e* verò compulſi, pallio, & cucullo depoſito, inire coniugia, & vitam for-

a *Adrian. in Epiſt. ad Carolum.*
b *Zonor. Cedren. & Auct. hiſt. Miſcel. vbi ſupra.*
c *Ex actis Martir. Apud Surium 17. Octob.*
d *Ex Act. Martir. Steph. & Sociorum.*
e *Auctor. hiſt. Miſc. Zonor, & Ced. vbi ſupra.*

ſordidis artibus tolerare. Tradita militibus Monaſteria, vt ſacri Monachatus memoria deleretur. Sanctorum Patrum libri, ſacra ſupellex, & reliquiæ in rogos, & flammas iniecta: Aliqui Senatores, clariſſimi viri, quòd imagines adoraſſent, duriſſimis neruis in foro verberati: Adacti denique omnes iureiurando, diraque execratione, nullum ſe poſthac honorem imaginibus habituros; quod cum pro ſuggeſtu Conſtantinus pſeudopatriarcha publicè feciſſet, vindicem Dei iuſtitiam non effugit. Nam paulo poſt cum Copronymus de abroganda Chriſti Domini diuinitate cogitaſſet, remque Patriarchæ credidiſſet, quod is habere clauſa non potuerit conſilia, iuſſus eſt publicè virgis cædi, conſpui, per Vrbem raptari, & in ſordidiſſimis Vrbis locis iugulari.

Tandem Copronymus tanquam cædibus, ſacrilegijſque defeſſus, cum expeditionem ſuſcepiſſet in Bulgaros, ardentiſſima febre correptus eſt Arcadiopoli: vtque vitæ exitus, anteactæ vitæ eſſet vltor, pedes illi ardentibus vlceribus, quos carbunculos ab exurendi vi nominarat, intumuere: dumque hoc vehementi iactatur æſtu, clamat in-

felix, *Viuum ſe inextinguibili igni traditum, ob violatum Deiparæ Mariæ nomen, & cultum, cumque eam ſerò iuſſiſſet honorificè coli, acerbiſſimo interitu ad quæ migraret ſupplicia non obſcurè monſtrauit*. Succeſſit filius Leo quartus, qui ex Irene *a* coniuge Conſtantinum ſuſcepit. Nec is diu imperauit, minus quidem quam a pietate alienus; Imagines tamen peroſus, earumque cultores inſectatus eſt, ſed per breui defunctus Imperio, infeliciter obijt.

Fauſtis tunc auſpicijs Irene *b* cum filio Conſtantino Imperare cæpit Catholica religione, ac pietate florentiſſima mulier: itaque nihil ei fuit antiquius, quam vt religionem, quæ dilapſa iacebat, excitaret, Regiamque Vrbeam multiplici ictam Anathemate, & a ceteris ſeiunctam Eccleſiæ partibus, ad reliqui corporis concordiam reuocaret. Cum verò Paulus *c* abdicato Conſtantinopolitano Patriarchatu in Flori ſeceſſiſſet Monaſterium ſe ipſum voluntarijs diſcrutiaturus pænis, huius rei cauſam ſciſſitantibus Imperatoribus reſpondit; *Quia Copronymi Synodo, in qua ſacras Imagines ab Eccleſia auferendas iniquè decretum fuerat, ſuam adiecerat ſubſcriptionem, & niſi pænitentiam ageret,*

a *Auctor. Miſcel. lib.* 23. *Zonor. & Cedren. in Leonem.*

b *Auctor. Miſcel. lib.* 23. *Zonor. & Cedren. in Conſtantin.*

c *Epiſtol. Conſtant. ad Synod. in Synod. Act.* 1.

ageret, æternis ſe fuiſſe cruciatibus puniendum. Quo reſponſo permoti Imperatores, primùm de Patriarcha optimo deligendo ſoliciti, habita, quam par erat, deliberatione, viſus eſt nemo, cui merito Tharaſius poſthaberetur. Is verò grauiſſimum detrectabat onus, nec prius vrgentibus ceſſit Auguſtis, quam fore pollicerentur, vt omni ope, atque opera Synodum indicendam curarent.

Ergo ad Adrianum primum Conſilij, animique magnitudine *a* clariſſimum, Synodicam Tharaſius, in qua de Imaginum cultu doctè, & piè diſſerebat, ſcribit Epiſtolam; ſcribunt, & Imperatores, communicatiſque conſilijs rogant, vt Synodus ipſius auctoritate cogeretur, ad eamque de more Legatos Apoſtolicos mitteret. Lætior Pontifici Nuntius nullus afferri potuit. Itaque Petrum *b* Archipresbiterum Eccleſiæ Sancti Petri, & Petrum Abbatem Sancti Sabbæ mittit, qui ſuo nomine Concilio præſint. Verum Iconomachi, qui diù fuerant in Vrbe Regia dominati, incredibiles imperitæ multitudinis *c* concurſus, ac tumultus aduerſus Epiſcopos concitarunt; quam ſeditionem armatæ plebis, cum ne Imperatores qui-

a *Auctor. Miſcel. lib.* 23. *Cedr. & Zonar. vbi ſupra.*

b *Adrian. in Epiſt. ad Conſtant. in 7. Syn. Act. 2. & Epiſtol. Imper. in Act. 1.*

c *Auct. Miſcel. vbi ſupra.*

dem ſedere potuiſſent, dilata res eſt. Cogitatum deinde de Nicæa *a* Bithyniæ Metropoli, quæ ob primi Concilij Maieſtatem, & Arianæ peſtis euerſionem, in maximo honore habebatur, tamquam ad hoſtes Eccleſiæ debellandos, diuinitus conſtituta. Summo igitur conſenſu *Nicæam Synodus translata eſt Imperatoribus Irene, & Conſtantino, octauo eius anno, factumque diſputandi initium octauo Kal. octobris in Eccleſia ſancta Sophia*. Interfuerunt cum Tharaſio Conſtantinopolitano, religioſiſſimi duo Monachi Ioannes, ac Thomas, qui ſedium Orientalium locum tenebant, & Epiſcopi CCC.L. *b* eximij vitæ, eruditioniſque præſtantia, & Archimandritæ multi cum Monachis quam plurimis, qui Patrum confeſſum Sanctitatis, & doctrinæ ſplendore magnificè decorabant; Clariſſimi itidem Senatores aliquot, ab Imperatoribus miſſi. Vniuerſo autem Concilio paulo ante memorati Apoſtolicæ ſedis Legati, præſidebant. Perlectis, *b* initio Imperatorum litteris, ſtatim tres Epiſcopi Baſilius Ancyranus, Theodorus Mirum, & Theodorus Amori ſupplices obtulere libellos ad veniam deprecandam, quod Copronymi Synodo ſubſcripſiſ-

a *Sept. Synod. Act.* 1.

b *Cedren. & Pſel. de 7. Synod.*

c *Nicolaus Epiſtol. ad Michaelē. incip. Profeſſueramus.*

ſcripſiſſent. Agitata res eſt in vtramque partem, an eſſet huic hominum generi parcendum; *a* Clementior demum, & ad ignoſcendum propenſior ſententia placuit; quocirca, & Epiſcopi alij, qui in eodem hærebant luto, Hypatius Niceæ, Leo Rhodi, Nicolaus Hieropoleos, Gregorius Peſſinuntis, Gregorius Antiochiæ Piſidiæ, Leo Carpachi, in primis verò Gregorius Neocæſarienſis, qui Pſeudoſynodo fuit anteſignanus, ac præſes, eam ſibi noxam, & crimen condonari poſtularunt. *Condonatum eſt omnibus, tùm qui ab hæreſi reſcipiſſebant, tùm qui ab hæreticis Sacerdotio fuerunt initiati, permiſſumque, vt (niſi flagitium aliud obeſſet) ſuum quiſque gradum, ac dignitatem retinerent.*

a *In 7. Synod. Act.* 1.

Tum recitatæ ſunt *b* Adriani primùm ad Imperatores, & ad Tharaſium litteræ, quibus orthodoxorum dogma de colendis Imaginibus explicabatur; Deinde *c* Synodicæ tùm Tharaſij ad Patriarchas Orientis, tùm Orientalium Eccleſiarum ad Tharaſium Epiſtolæ, quibus rectè de Fide diſcerebatur. Horum omniũ Epiſtolis ab vniuerſa Synodo honorificè acclamatum eſt. Ea verò Fides, quo fieret illuſtrior, placuit e ſanctiſſimorum Patrum *d* libris de-

b *Act.* 2.

c *Act.* 3.

d *Act.* 4. & 5.

depromi, & in medium proferri apertiſſimas, grauiſſimaſque ſententias, quibus Imaginum venerationem magnoperè commendant: quippè rem ab Apoſtolis traditam, vetuſtiſſimo Eccleſiarum omnium probatam vſu, & compluribus miraculis illuſtrem, ac teſtatam: quæ ſententiæ in Synodo ex optimis auctoribus recitatæ ſunt. Quapropter conſtantiſſimis omnium Patrum ſuf-
a *Act.* 7. fragijs ſancitum *a* eſt; *Vt in Baſilicis, alijſque honeſtioribus locis, Chriſti Domini, & Sanctorum Imagines collocentur, ad memoriam, & imitationem virtutum excitandam, atque vt debitis collantur honoribus, cum is cultus ad prototypum referatur: vt ſanctorum reliquijs ea, quam par eſt, veneratio deferatur: Vt qui contra ſenſerint Anathematis pœnam luant: Epiſcopi verò & clerici deponantur.* Quibus Sanctiſſimè conſtitutis, placuit in medium deferri Sacram Saluatoris Imagi-
b *Act.* 5. *ad fin.* nem, & ſuppliciter *b* procumbentibus vniuerſis, vt ſuorum ipſi decretorum fructum perciperent, adorari. Viſum eſt etiam de Copro-
c *Act.* 6. nymi flagitioſiſſima *c* Synodo cognoſcere, ne quid, vnde periclitari poſſet piorum ſimplicitas reſideret. Perlecta igitur eſt in publico
con-

conuentu, eiuſque vaniſſimæ ratio-
nes veriſſimis alijs euerſæ, & quan-
tum ſatis erat, explicatum diuina-
rum ſcripturarum teſtimonia, qui-
bus Idola gentium redarguuntur,
aduerſus ſanctorum Imagines ab hæ-
reticis ſtultiſſimè detorqueri. Pro-
inde *iuſtiſſimum Sacroſancta Synodus
Anathema conſtituit in nequiſſimi
illius Conciliabuli auctores, nec ſo-
lum in* a *Anaſtaſium, ſed etiam in* a *Act. 7. in fin.*
*Conſtantinum, ac Nicetam Pſeudo-
patriarchas*: qui non aſcenderunt
ex aduerſo, neque oppoſuerunt mu-
rum pro domo Iſrael, ſed ſilendo
etiam, obſequendoque, ſtimulos,
& ignes Leonis, & Copronymi fu-
rijs admouere. Poſtremo Canones
XXII. adiecerunt.

His ritè peractis Tharaſius Pa-
triarcha datis ad Adrianum *b* Ro- b *Act. 7.*
manum Pontificem litteris rerum
omnium, quę geſtæ fuerant, rationem
reddidit. Adrianus *c* autem eam c *Epiſt. 1. Adriani ad Carol.*
Synodum, non modo Apoſtolicæ
ſedis inuiolabili Iudicio compro-
bauit; ſed conſcripta etiam ad Ca-
rolum Magnum Imperatorem Epiſ-
tola a quorundam criminationibus
defendit. Huius etiam Sacroſanctæ
Synodi decreta confirmata poſtmo-
dum ſunt ab octauo Æcumenico *d* d *Act. 10.*
Concilio, à Nicolao primo in Epi-

a *Quæ incip. Propoſuerunt.* ſtola *a* ad Michaelem Imperatorem, & a Leone nono ad Petrum Antiochenum Epiſcopum, & ab alijs. Finis.

ADNOTATIONES.

HIc Pōtifex Adrianusprimus fuit, qui Litteras Apoſtolicas plumbo pendente ſignauit, vt Diplomata diuturniora forent; Priores enim Pontifices cera tantum vſi fuerant.

Conſtantinus Copronimus Regni ſui anno 35. Mortuus eſt diuinitus in cruribus plaga percuſſus, febreque validiſſima excruciatus, clamans; *Viuens adhuc igni ſum inextinguibili traditus;* & Sanctam Dei genitricem Mariam Laudari, & honorari iuſſit, cui ſine fœdere viuens fuerat inimicus; ſimilis Antiocho Regi, qui ſemper, & vbique impius, Moriens eam primam vocem ſanam, & veram ſententiam dixit, a *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria cum Domino ſentire.*

a *Machabeor. cap. 9.*

H I-

HISTORIA
SANCTI CONC.
IV. CONSTANTINOPOLITANI
Generalis Octaui.

A Chriſto nato anno DCCC. LXIX.

TEmpore Michaelis, & Theodoræ Matris eius Imperatorum abdicato iconomacho Ioanne, electus, & conſecratus eſt Patriarcha Conſtantinopoleos Ignatius; qui Michaele quondam Imperatore, cuius filius erat, Imperium ſponte religionis amore dimittente Eunuchus inuidia factus eſt: deinde Monaſtica vita electa, in cænobio a primæua ætate miris eluxit morum, & virtutum ſplendoribus, ac per id diuturnis exercitijs eruditus, & in ſcientia, & opere probatus, iam ſenex, cunctorum vnanimitate ad ſummi Sacerdotij petitus, & promotus eſt apicem. Sane reſtiterunt huius prouectioni quidam perpauci Epiſcopi, inter quos erat Syracu- *Adriano II. Summ. Pontif. & Baſilio Imper.*

ſanus Gregorius, eo quod eos propter diffamata, & publicata non nulla crimina in Sacerdotio vitæ, refricationem in eos illati Iudicij ſe non poſſe recipere, canonica ſit, ac miti ratione profatus: propter quæ, quia ſatisfactione, non ablue-runt: merito poſtmodum ab eo, & a Synodo abdicati ſunt. Fauebat autem his quidam ſenator ſæcularis adminiſtrationis fungens officio, a ſecretis, nomine Photius, qui ad Patriarchale aſcendere faſtigium affectans, cum eis ſeorſum colligebat, & fideles quoſque a Sanctæ communionis participatione auertens, diuinis intereſſe miſterijs, dum a Patriarcha Ignatio celebraretur, penitus recuſabat: nihil habens in cauſa pietatis, vnde Pontificem proprium reprehenderet, niſi quod ſuſpicabatur eum vitam deceſſoris ſui, ideſt ſanctæ memoriæ Patriarchæ accuſare Methodij: cum ille non ſolum hunc in nullo penitus accuſaret, verum etiam miris laudibus ſemper efferret, quin potius Memoriam illius inter ſanctos Patriarchas, dum diuina Myſteria gererentur, faceret, & diem anniuerſarium ſolemniter, & imprætermiſſe ſuper eius nomine celebraret; quamuis hoc ipſum idem Photius,

ſicut

ſicut cetera illius geſta ſiniſtrè interpretans, callidè ſacere ſuis auditoribus prædicaret, *alia*, inquiens, *eum in corde tenere*, *alia in opere demonſtrare*.

Cum igitur Photius ſociatus Schiſmaticis, quorum auctor præfatus erat Syracuſanus Gregorius, perſuaderet cunctis, qui quaſi pio circa Methodium (habentes quidem zelum Iuſtitiæ, ſed non ſecundum ſcientiam). affectu flagrabant, quod Patriarcha Ignatius derogator eſſet eiuſdem Sanctæ memoriæ Methodij, & idcircò quaſi parricida foret habendus fama crebreſcit: Bardam ſcolarem domeſticum, & Theodoræ Imperatricis Germanum, inceſtu nurum propriam vſu fœdare, quem Patriarcha criminis redarguit, interminatus excommunicandum, niſi a tanto flagitio ceſſauiſſet, cuius redargutionis modum ille non ferens, prænotatis Schiſmaticis, ac depoſitis iungitur, & verſutum in Patriarcham ſarcinat argumentum: Perſuaſit enim Imperatori Michaeli, vt Matrem, & Theclam ſororem ſuam, quæ & ipſa cum Matre, & fratre Imperij fuerat ſeptra ſortita, tondere, Patriarchæ præciperet, & in Monaſterio collocaret. Quod cum Patriarcha renueret, pro

eo quod vtraque Imperatrix hanc interim non eligeret ſponte profeſſionem, maxime quia his ſecundum morem ſicut ceteris Imperatoribus, & Imperatricibus iurauerat, non ſe vllo in tempore inſidiaturum. Bardas protinus ad Imperatorem iuuenem: *Heus*, inquit, *Imperator, ſaltem nunc non aduertis Ignatium tua ſpirare neci, & Matrem Imperium alij geſtire, futuro ſcilicet Imperatori ſociare Marito*. Hæc miſerrimus egit, nec propriæ germanæ, Imperatrici videlicet, parcens, vt & in Patriarcham vlciſceretur, & vtraque Imperatrice, ideſt Matre, & filia Imperio pulſa, ipſe vel viui fieret Imperatoris ſocius, vel eo a ſe facilius interempto, iam ſubrogaretur ſucceſſor. Tunc Imperator aure tanti præſtigij credulus, & iratus, Matrem cum ſororibus tonſam pallatio pepulit, & Ignatium ſchiſmaticorum, & Bardæ ſuggeſtione a regimine Patriarchatus abegit. Subrogatus eſt pro eo, præfati Bardæ, fauore Photius, de quo ſupra relatum eſt, prohibentibus ſacris Canonibus, & venerãdis legibus, *Neminem ex laicali Militia ſubito ad Sacerdotium promoueri*. Ignatius vero dum pelleretur, Eccleſiam ligauit *ne quiſquam abſque ſe in ea ſacra* cele-

celebrare tentaret officia. Quo audito, Bardas adeo eum in Inſula, in qua erat relegatus, diuerſis tormentis affecit, vt dentes illius fregerit, & continuis lacerauit colaphis, vſque quo ſe refutare regimen ſuæ profiteretur Eccleſiæ, quæ videlicet iam præiudicialiter fuerat expoliatus.

His ergo compertis, cæperunt nonnulli Metropolitani Antiſtites, ac inferioris Sacerdotij, vel ordinis Poutificij clerici, Pontificis ſui tormentis compatientes, deiectionemque dolentes, rectorem ſibi proprium reddi, magnopere clamitare: Quod Photius ſentiens, perſuaſo Imperatore ſubminiſtrante Barda, congregauit Concilium quorumdam Epiſcoporum adulatione ſibi, vel timore fauentium, & eumdem Ignatium depoſuit, & Anathemate perculit; populum per hoc ab eo, tanquam a damnato ſcindere ſperans; Cui tamen vſque ad hoc veluti presbitero diuina Sacrificia conficiendi præſtabat aſſenſum. Quo geſto magis, ac magis pietas fidelium accenditur, & eo Conſtantius ab vniuerſis ouibus proprius Paſtor exquiritur, quo verſutius lupi crudelitas furit: Præterea Photius in hac parte ſe fruſtatum intuens, ad Sedem Apoſtolicam mittit,

cui

cui magnus tūc & prudēs deceſſor præſidebat Papa Nicolaus, quatenus illa, ſicut ipſe ſperabat, approbante, vel decernente; mox omnium ora reſſiſtentium obſtructa ſilerent, & aditus ſibi progrediendi quà vellet, omnes omnino pateſcerent, ignorans ſtolidus, quod apud beatum Iob de Deo legitur; *Qui ſi incluſerit hominem, nemo eſt, qui aperiat*. Cuius legationem præfatus Summus Pontifex ſuſcipiens, & pertractans, licet hucuſque verſutiarum eius, atque geſtorum ignarus, pene cuncta, quæ ab eo acta fuerant, ſagaci depræhendit acumine, & non Ignatium, vt Photius poſtulauerat, ſed potius ipſum Photium repulit; verum tramitem Iuſtitiæ ſequens miſit Conſtantinopolim miſſos, Radoaldum ſcilicet, Portuenſem, & Zacariam Anagninum Epiſcopos, atque litteras, quarum tenores, qui legerit, facilius noſſe poterit, in quibus, quia & de venerandis Iconibus quæſtio erat, nonnulla etiam ſuper his conſcripta reperiuntur. Peruenientibus igitur Miſſis Apoſtolicæ ſedis Conſtantinopolim, & Concilio Congregato, Græci Epiſtolas ſuſcipientes, quidquid in eis erat pro Ignatio, vel contra Photium, inuerterunt, ſub-

traxerunt, & in Concilio legi minimè pertulerunt: Miſſis Romanis, quid legerent, quidue non legerent, nullatenus intelligentibus, vel etiam aduertentibus; quin potius præ vi, ac timore iam iamque deficientibus, quid plura? Ignatius in medium trahitur; coram Miſſis Apoſtolicæ ſedis iam ſenio feſſus ſtatuitur, & denuò damnationi ſubmittitur, quin & ſacerdotalibus infulis expoliatur, quaſi validior fieret depoſitio, vbi ſedis Apoſtolicæ per Vicarios ſuos auctoritas affuiſſet: cum in his nec illius interfuerit auctoritas, nec Miſſi illi vicariorum more, vt Epiſtolæ dant intelligi, fuerint deſtinati. Quod ſedes Apoſtolica diſcens, tantam iniuſtitiam impune deſeri minimè paſſa eſt, ſed ſcribit. *A tali præſumptione ceſſandum, ſuoque decreto Photium non obedientem cum complicibus ſacra dignitate, & cum omnibus fautoribus Anathema fore decernit*, iam dictis Miſſis ſuis primitus ſententiam ſecundum exempla Reuerendæ memoriæ Felicis Papæ in Vitalem, & Miſenum Epiſcopos ſimiliter excedentes, Synodaliter inferens, & quam ſibi fratris deiectio eſſet grauis, etiam filijs ſuis non parcens, palam cun-
ctis

ctis dedit intelligi. Cuius cenſuræ Photio minimè parente, ſacratus Fidelium Catalogus magis inflammatur, & ab eius ſe communione cateruatim ſequeſtrat, horreſcens, quod nec a tanta ſede perculſus corrigi cōſenſerit, quippe cum durior ſilice, etiam verbera dura impudenti fronte contempſerit; quod Photius moleſtiſſime ferens, acriter indignatur, & licet Bardas, Cæſar poſtmodum factus, cuius auxilio fulciebatur, digna retributione ab Imperatore Michaele fuerit interfectus; nil tamen ſæuitiæ ſuæ minuit, ſed alios quidem priuatione honorum, & dignitatum, alios verò proſcriptione facultatum damnat, hos exiliò longo, & carceribus relegat, illos tormentis diuerſis afficit, atque vt breuiter omnia comprehendantur, nulla profeſſio, ſexus, vel ætas ab eo impunita deſeritur, niſi conſors ſuæ communionis inuenta; adeò vt communionem eius declinantium nonnullos, quibuſdam exceptis, qui contemplationi operam dantes clauſi habebantur, abſtraxerit, alios verò in monte Olympo eremiticam vitam ducentes fugauerit, eorumque tuguria, ſiue ſpeluncas igni perdiderit, quemdam autem ſibi communicare renuentem etiam viuum ex inferiori parte vſq;
ad

ad dimidium corporis ſepelierit; (& quod horribilius eſt) Conciliabulum præſidente Michaele colligit, falſos homines quaſi Vicarios Orientalium ſedium format, accuſatores muneribus armat, & mendacijs conſtruit, teſtes eos adſciſſit, quos, & accuſatores opponit. Iudices nonnunquam, & in accuſati perſonam admittit, exceſſus quoſdam quaſi præfati Summi Pontificis fingit, impingit, & ſicut putabat, damnatione ſimul, & Anathemate punit; Cunctis, qui aderant, exceptis perpaucis, & his fautoribus impietatis clamantibus non eſſe iuſtum in ſummum, & primum Pontificem, & præcipuè ab inferiori quomodolibet ſententiam proferendā, cum id nec Canon quiſquam admittat, nec aliqua Eccleſiæ conſuetudo fieri doceat Verum iſte falſarius falſorum exceſſuum aduerſus inſontem abſentem, & inuictum, mendacem codicem compilat; Mille circiter Antiſtitum ſubſcriptiones falſas interſerit, ſibique nemine prorſus conſentiente, vel conſcribente ex illa numeroſa Epiſcoporum multitudine niſi vno, & viginti præſulibus. Vnde iam profuſius ſancti habitus viri eum fugiunt, & quaſi ſqualorem quemdam declinant, alterum Dioſcorum hunc appellantes,
&

& præcurſorem Antichriſti, immò ipſum Antichriſtum exiſtimantes, *Quem* ſcilicet, *Hominem peccati, Filiumque perditionis Apoſtolus appellaſſet, qui profectò extolleretur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Ceterum conſtruit & aliam technam hic peruerſorum dogmatum cultor, & perſuadet Imperatori præcipere *Neminem teſtamentum facere, vel per alterius niſi per Photij manus ſuas elemoſynas erogare*, quod non ob aliud adinuenit inuentor malorum, niſi vt cum acciperet, & erogaret ſubſtantias diuitum, proprias a minus curioſis erogaſſe putaretur, & per hoc a cunctis, quaſi dapſilis, & munificus amaretur; ſimul etiam vt ſaltem per hoc omnes ei coacti communicarent, quamdoquidem conſpicerent, nec ipſa ſe animarum ſuarum remedia poſſe, niſi per manus eius ſaltem in ipſo mortis articulo poſitos operari. Præterea, & aliud iniquitatis ſuæ retiaculum, quo mentes ſimplicium caperet, texens, quotquot ad exteriorem ab eo diſciplinam inſtruendi veniebant, proprio ſcripto ſpondere cogebat *ſe ſecundum fidem Photij de cetero credituros*, quaſi duæ Fides eſſent, vna ſcilicet Chriſti, & altera Photij,

2. Theſſ. 2. 6.

tij, & hoc nihilominus callidè molitus, vt communionis ſuæ quoſcumque, vel quomodocumque laqueis irretiret; & eſſet impoſſibile ſe vnquam euelli, quem nimirum conſtaret, tot fixis hærere radicibus, dum his nec aliam fidem, niſi quam ipſe teneret habere quoquo modo licuiſſet, quod maximum ſcandalum mortalibus excitauit. dicentibus, *ita ne ſi Photius hæreſiarca fuerit, debent filij noſtri, aut Fdei Catholicæ deſertores eſſe, aut Iuramenti, vel ſui Chirographi tranſgreſſores?* Erant enim inter eos nonnulli clariſſimis natalibus oriundi. Nam & annos aliquot idem Photius *Duarum vnumquemque hominem animarum conſiſtere* prædicabat. Qui cum a Conſtantino Philoſopho magnæ ſanctitatis viro fortiſſimo eius amico increpatus fuiſſet, dicente cur tantum errorem in populum ſpargens, tot animas interfeciſſet? Reſpondit, *Non ſtudio quemquam lædendi talia*, inquit, *dicta propoſui, ſed probandi, quid Patriarcha Ignatius ageret, ſi ſuo tempore qualibet hæreſis per ſyllogiſmos Philoſophorum exorta pateſceret, qui ſcilicet viros exterioris ſapientiæ repuliſſet*: verum *ignoraui me ſub huius fomite propoſitionis tot ani-*

mas

mas fore læſurum. Ad quod ille; *ò ſapientia mundi, quæ infatuatur, & deſtruitur; Iactaſti ſagittas in multitudinem copioſæ turbæ, & ignoraſti quemlibet ex his omnibus vulnerandum. Certè omnibus liquet, quia ſicut oculi quantumlibet ſint aperti, ſi ſumus palearum interiacuerit, videre vltra non poſſunt, ita oculi ſapientiæ tuæ quantumlibet ſint magni, & patuli, auaritiæ tamen, & inuidiæ fumo penitus obcæcati, tramitem Iuſtitiæ videre non poſſunt, ac per id verum eſt, quod neminem ictu tuo putaſſe eſſe lædendum, cum ſic obcæcatum ſenſum prædictis aduerſum Patriarcham paſſionibus habens, nec quid emiſeris prauidiſti.*

Interea occiditur Michael, remanet in Imperio ſingularis Baſilius, vndè & nuncupatur ab omnibus Monocrator; incipit inquirere, & inueſtigare quod nam fuerit ſedis Apoſtolicœ Iudicium, vel decretum, tam ſuper Iconomachis, qui ſenſim contra Sacras imagines garrire, rediuiua præſumptione, videbantur, quam ſuper Ignatio, vel Photio promulgatum, qui cum ei reſponſum eſſet, *Apoſtolicam ſedem ab vndecima indictione ſicut ab olim in Throno Conſtantinopolitano Ignatium ſtabiliiſſe, Photium verò nullius ord nis* cleri-

clericalis dignum aliquo modo cenſuiſſe, atque ſuper his innoteſcendis diuerſa ſcripta Conſtantinopolim, ac per omnes orbis terrarum terminos direxiſſe; protinus eadem ſcripta curioſo ſatis intentu requirit, & inuenta vbi a Photio profundius obruta conſiſtebant, præ oculis veluti ſpecula ponit, & horum lectione magiſtra, quæ ab ea ſumma ſede decreta fuerant, celeri conſummat effectu, ideſt & Photio ſacro Miniſterio poſt depoſitionem irregulariter abutenti, throno Conſtantinopolitano cedere perſuadet, & Ignatium hunc recipere adhortatur: Verum quia, & Ignatius thronum, quo præiudicialiter fuerat expulſus, abſque iterata potioris ſedis, ideſt primæ, auctoritate non recipere propoſuerat, & Imperator tantum nefas, & vbiq; diſuſum a Chriſti Eccleſia generali ſatagebat eradicare ſententia, viſum eſt ex vtraque parte Ignatij videlicet P. triarchæ, Photiique Neophiti legatos Romam deſtinare, qui præſente Summo Antiſtite alternatim confligerent, & iuſtitia ſufragante aut iuſtificarent Photium, aut perpetuò condemnarent.

Mittitur itaque Romam à parte quidem Ignatij Ioannes Metropolita

ta Sylei, qui & Perges Pamphiliæ præerat Eccleſiæ, a parte verò Photij Petrus Metropolita Sardenſis, qui contra Ignatium cum iam memorato Gregorio auctor factus fuerat Eccleſiaſticæ ſciſſionis; porrò a Principe deſtinatur regius Spatharius Baſilius nomine, qui inter vtramque partem coram ſede Apoſtolica medius haberetur, & fidelis eorum, quæ ſedes eadem de reuiſiſſet Auditor, & Nuncius. Sed Petrus quidem, licet noua naui, & quam ipſe ſibi elegerat veheretur, naufragium ſimul, & mortis periculum pertulit; & qui nauim Chriſti hoc eſt Eccleſiam ſcinderat, nauis ſuæ ſciſſiouem non inconuenienter incurrit: Ceteri ſane Legati Romam peruenientes, Epiſtolas, & præfanum Codicem, in quo continebantur geſta Conciliabuli, quæ Photius aduerſus Apoſtolicæ memoriæ Papam Nicolaum falsò fuerat commentatus, atque omnia, quæ crebro memorata eximio Præſuli deſtinata fuerat, quia ille ad meliorem vitam migrauerat, præclaro ſucceſſori eius domino iuniori Adriano Præſuli eximiæ ſedis Apoſtolicæ gubernacula egregie moderanti, præſentant.

Tunc ſummus Pontifex vtriuſque lin-

linguæ peritis librum ſcrutandum per aliquot dies decreuit, & omnia quæ in eo continebantur, coram, Synodo fideliter propalari quæ vbiq; omnia ſtrenue perſcrutata eſt. Nam venerabilis Pontifex adnitente omni ſenatorio, popularique conuentu, apud beatiſſimum Petrum Apoſtolum in defenſionem ſuæ Eccleſiæ, deceſſoriſque ſui, ſacrum Concilium conuocauit. Et primo quidem per legatos Conſtantinopoleos veritate luculenter audita deceſſoris ſui ſuper huiuſmodi litteras legens, ſiniſtram ipſius famam purgauit. Deinde Photium cum Conciliabulo, complicibuſque ſuis, tertio Anathemate perculit. Ad extremum verò ceterorum ſubſcriptionibus & ſententijs roboratum, præ foribus graduum nefandi dogmatis librum cunctorum pedibus conculcatum exuſſit. Poſt hæc Don. Epiſc. oſtien. & Martinum Diaconũ Conſtantinopolim deſtinauit, quibus ſociauit Stephanum Nepeſin. Epũ. & pręcepit, vt ſcãdalũ Eccleſię Cõſtantinop. ſopirẽt. Itaque multorũ anfractuum laborioſos circuitus penetrantes, tandẽ Chriſtoduce Theſſalonicam veniunt, in quam Baſilius Imperator Euſtachium Spatharium candidatum, cum ſuæ ſalutationis officio ſanctæ Romanæ

Ec-

Eccleſiæ legatis, obuiam deſtinauit. Qui eos admodum honorifice per contigua itineris loca ducens Sillambriam peruenit. vbi a Siſinio Imperiali Protoſpathario, & Theogniſto Patriarchali Eugumeno, qui Romæ apud Sanctiſs. Papam Nicolaum, pro reſtituendo Ignatio ſedulus interceſſor extiterat, cum quadraginta equis de ſtabulo Imperiali, & totius menſæ argenteo apparatu, officialibuſque, qui ſibi ad omne libitum famularentur, ſunt excepti. Ad caſtrum autem rotundum, in quo eſt Eccleſia miræ magnitudinis S. Ioannis Euangeliſtæ nomini dicata, fauore Auguſtali, ſabbato manſionem ſuſcipiunt; Et Dominica, quæ 15. Septembris erat, Indict. 3. ſingulos equos cum ſellis aureis deuotione Imperatoria capientes, obuiati omnibus ſcholis, videlicet Spathariorum, candidatorum, ſtrategorum, mandatorum, cæterorumque Palatinorum ordinum, omnibuſque Clericorum planetatis ordinibus ad portam auream veniunt. Ibi à Paulo librorum cuſtode, Ioſeph vaſorum cuſtode, ſimulque Baſilio Sacellario, Eccleſiaſticis indutis veſtibus, ſalutati ſunt à Patriarcha Conſtantinopoleos, & ſolemniter proceſſerunt, ab omni po-
pulo

pulo cum cæreis & lampadibus proſequuti. Sicque ad Irænis palatium deſcendentes in domum, quæ dicitur, magna area, à Ioanne à ſecretis, Spatharioque candidato, & Strategiſpathario candidato Legati Sedis Apoſtolicæ excipiuntur; per quos imperialia mandata ſuſceperunt, deuotiſſime proculdubio ſuggerentia, ne forte moleſte ducerent, quod Imperiali natalitio imminente, in craſtinum ſuſcipi non valerent. Quo feliciter celebrato, miſit Imperator in occurſum ipſorum omnes ordines palatinos. Quibus præcedentibus ante Imperatorem in chryſotriclinio ſibi continuo aſſurgentem ſalutabundi conueniunt, Apoſtolicas litteras ei offerunt; quas Imperator ipſemet ſuſcipiens oſculatur. De ſtatu Romanæ Eccleſiæ, & ſalute Domini Adriani Summi Pontificis, deque omni Eccleſiaſticorum, Senatorioque ordine diligentiſſimè perſcrutatur: legatoſque amabiliter oſculatus, Ignatio Patriarchæ iuſſionem Apoſtolicam prolaturos abſoluit. Qui ſequenti die ad Imperatorem redeunt, à quo taliter alloquuntur.

Sancta Conſtantinopolitana Eccleſia per ambitionem pertinaciſſimi Photij, diuerſis ſchiſmaticorum flu-

 ctibus

ctibus lacerata, Sancta omnium Eccleſiarum Dei mater Eccleſia Romana, Sanctiſſimi Domini & vniuerſalis Papæ Nicolai (ſicut ex eius litteris, quarum auctoritate præſens pater noſter Ignatius, qui violenter fuerat à Photianis expulſus, ſedi propriæ nuper iuuante Domino reſtitutus eſt, poteſt luculenter intelligi) fida prouiſione conſuluit. Quapropter nos cum omnibus Orientalibus Patriarchis, Metropolitis, atque Epiſcopis cenſuram ſanctæ Matris noſtræ Romanæ Eccleſiæ per biennium præſtolantes, propter Deum petimus, vt Dei negotium viriliter peragatur, & tandem aliquando auctoritate veſtri ſacri Collegij, tam peſtifera Photianæ tergiuerſationis ſcandala propellantur. Quatenus vnitas & tranquillitas optata diu ius, iuxta decretum Sanctiſſimi Papæ Nicolai reſtaurentur.

Anaſtaſ. Pribit. Legati Sanctæ Sedis Apoſtolicæ reſponderunt. Et nos ideo venimus, ideo miſſi ſumus: ſed neminem vnquam Orientalium veſtrorum, in noſtram Synodum ſuſcipere poſſumus, niſi oblato libello, cuius formam de ſcrinio ſanctæ Sedis Apoſtolicæ ſumpſimus, nobis fuerit ſatisfactum. Imperator, & Patriarcha dixerunt. Quia nouum hoc, & inauditum

ditum de libello proferendos aſſeritis, neceſſe eſt, vt tenoris illius formam videamus. Nec mora, libelli forma prolata eſt, & de Latino in Græcum conuerſa omnium notitiæ declaratur. Quorum quidam libellum proferentes in ſancta Synodo reſederunt, proferre nolentes extra Synodum inglorii relicti ſunt; ſed dietim feruore Spiritus ſancti temperati, præmiſſa libelli ſatisfactione, ad vnitatem ſacræ Synodi reuerſi ſunt. In hanc Synodum Photius ille perſuaſor de multis criminibus perpetratis rationem redditurus adducitur. Omnes epiſtolæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ contra eum prolatæ leguntur, & depoſitionis, ac Anathematis ſententia dudum ab Apoſtolica ſede prolata in eum ab omnibus identidem iaculatur; inque ipſius conſpectu nefandiſſimi Conciliabuli prophanata volumina, quibus contra ſanctiſſimum Papam Nicolaum ſuſurra fauce latrauerat, igne combuſta, veritatis, innocentiæque lampas emicuit. Denique geſtis ſalubriter omnibus, quæ in decem ſeſſionibus Synodi textus complectitur, Legati ſanctæ Romanæ Eccleſiæ textum Synodi, ne quid Græca leuitas falſum in eam congereret, Anaſtaſio ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Bi-

bliothecario, (qui tunc temporis pro cauſa Ludouici Sereniſſimi noſtri Auguſti cum Suppone Archiminiſtro poſt eos Conſtantinopolim diuina diſpenſatione peruenerat) ſubtiliter inquirendum, antequam ſubſcriberent, committunt. A quo, quia in vtriſque linguis eloquentiſſimus exiſtebat, ſtudioſiſſime perſcrutatus, omne quod ad laudem Sereniſs. noſtri Cæſaris, ſanctiſſimus Dominus Adrianus Papa in Epiſtola ſui deceſſoris, Arſenio Epiſcopo imminente adiecerat, reſecatum inuenit. Quapropter Epiſtolam ſedis Apoſtolicæ, fraudulenter corroſam, ſummis clamoribus conqueruntur, fatentes ſe nullo modo Synodalibus actionibus ſubſcripturos, niſi totius Epiſtolæ integritas geſtis Synodicis iungeretur. Hoc modo Romanis certantibus, Græcis verò, non eſſe in Synodo de laude Imperatoris, ſed de ſolius Dei tractandum altiſone reſpondentibus, nomenque (Imperialis) noſtro Cæſari penitus inuidentibus, tandem ad hoc vſque peruentum eſt, vt interpoſita conditione voluntatis Apoſtolicæ diffinitis ſententijs minus finitè ſubſcriberent, ita legentes. Ego ille vices agens Domni mei ſanctiſſimi & vniuerſalis Papæ Adriani in

hac

hac ſancta Synodo præſidens vſque ad voluntatem eiuſdem eximij Præſulis ad omnia, vt ſuperius legitur, conſenſi, & manu propria ſubſcripſi.

His expletis, quidam Græcorum Imperatorem conueniunt, & Conſtantinopolitanam Eccleſiam per oblatos libellos in poteſtatem Romanam redactam flebiliter conqueruntur, ex dubietate ſubſcriptionum. Omnia quæ in Synodo decreta fuerant, reuoluenda, cunctaque reſiduis erroribus confundenda aſſerunt, & niſi libellos reciperent, libertatem priſtinam ſe non poſſe recipere fingunt: & illico quidam libelli à cuſtodibus (quoniam excellentiorum Epiſcoporum libellos legati Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, futurorum præſcij, prorſus abſtulerant) defraudantur, ac per hoc incredibiliter conſternati, Supponis Archiminiſtri, & Anaſtaſij Bibliothecarij fideliſſimis auxilijs innituntur. Quibus diuerſo modo non ſine magno laboris periculo imminentibus, libellos quidem vix tandem recipiunt, ſed Imperatoris iram pro nimia diſtrictione ſuæ fidei vehementer incurrunt.

Igitur poſt diem tertium, quo Sacratiſſima Synodus cum ſuis ſcriptionibus omnino in Codice con-

ſummata, retractaque eſt ad omnem elegantiam in Eccleſia S. Sophiæ, in domo ab Imperatore, cum vicarijs Patriarcharum, videlicet Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano, ſimulque Patriarcha Ignatio, qui cum aliquibus ibi reſidebat, callide conuocati ſedere iubentur, & quod Principes Bulgarorum eis litteras & dona per Petrum alioſque direxerint, audiunt. Quorum legationem, Imperatore potiſſimum imminente, ſuſcipiunt. Sicque poſt ſalutationem Petrus Bulgarorum legatus petebat vtrum Bulgari Romanæ an Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſubdi deberent? Reſponderunt Miſſi Romani. *Quia omnis veſtra patria noſtris Sacerdotibus dirigitur in diuinis, Vos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubditos eſſe conuenit.* Quibus auditis, Græcorum Vicarij, dixerunt. Satis iddecens eſt, vt vos, qui Græcorum Imperium detrectantes, Francorum fœderibus inhæretis, in regno noſtri Principis ordinando iura ſeruetis. Quapropter Bulgarorum patriam ex Græcorum poteſtate dudum fuiſſe, & Græcos ſacerdotes habuiſſe comperimus, ſanctæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, à qua quia per paganiſmum receſſerat, nunc per Chri-

ſtianiſmum reſtitui iudicamus. Legati ſanctę Romanæ Eccleſiæ clamantes reſponderunt. Sententiam quam non electi, neque admiſſi, ſine timore, ſeu gratia, vel quidquid illud eſt, modo præcipitaſtis potius quam protuliſtis, auctoritate S. Spiritus vſque ad diffinitionem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ omnino reſcindimus, ita vt nullo modo vel nomen habere ſententię mereatur. Teq; adiuramus, Patriarcha Ignati, auctoritate ſanctorum Apoſtolorum Principum coram Deo, ſuiſque Angelis, omnibuſque præſentibus, vt ſecundum hanc Epiſtolam ſanctiſſimi reſtitutoris tui Domni Adriani Summi Pontificis, quam tibi ecce offerimus induſtriam tuam ab omni Bulgariæ ordinatione immunem, nullum tuorum illuc mittendo, cuſtodias, ne ſancta ſedes Apoſtolica, quæ tua tibi reſtituit, per te ſua perdere videatur. Quin potius ſi, quod non credimus, iuſtam te habere querimoniam æſtimas, ſanctę Romanę Eccleſiæ reſtitutrici tuæ ſolemniter ſuggerere non omittas.

Tunc Patriarcha Ignatius Apoſtolicam Epiſtolam ſuſcipiens, licet magnopere monitus eam legere diſtuliſſet, reſpondit. Abſit à me, vt *Anaſt. ibid.*

ego his præſumptionibus contra decorem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ implicer, qui nec ita iuueniliter ago, vt mihi ſubripi valeat, nec ita ſeniliter deliro, vt quod in alijs reprehendere debeo, ipſe committam. Hoc fine collocutio illa finita eſt. Sed Imperialis commotio, licet ſpem fronte ſimularet, augmentum ſuſcepit. Legatos tamen ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ad prandium conuocans donis optimis decorauit. Eoſque Theodoſio Spathario non ea, qua congruebat ſollicitudine deducendi gratia cõmendauit. Acodyrcharium vſque perducti, negligenterque ſine vlla prouiſione dimiſſi. Poſt dies aliquot nauigantes, in Sclauorum deducti manus, proh dolor, inciderunt, boniſque omnibus ac authentico, in quo ſubſcriptiones omnium fuerant, exemplari denudati ſunt: ipſique capite plexi fuiſſent, niſi ab his, qui ex illis aufugerant, ſibi timuiſſent. Tandem Apoſtolicis, Imperialibuſque litteris, ab exilio liberati, & 11. Kal. Ian. die. Indict. 4. Romam reuerſi, omnia, quæ ſuperius diximus, coram ſanctiſſimo Pontifice, ac Proceribus retulerunt; nihilque aliud ſcripturarum, quam librum actionis Ignatij, & libellos, quos à Sclauis rece-

ce-

ceperant, & reliquos libellos, quos Supponi Archiminiſtro, & Anaſtaſio prudentiſſimo Bibliothecario ſanctæ ſedis Apoſtolicæ (cuius præſcientię ſollicitudine exemplar amiſſæ Synodi, quod ſibi ſcribendum impetrauerat, Eccleſia Romana ſuſcepit) dudum Conſtantinopoli commendauerant, oſtendere potuerunt.

ADNOTATIONES.

Adrianus ſecundus Pontifex bonus & doctus Aluredum Anglum primus Regia corona publicè ornauit. *Blod. lib. 3. Ang.*

Fuit Adrianus pietate in pauperes miraculosè illuſtratus adhuc presbiter, nam ſeptus pauperũ turba cuius vix tertiæ parti quos habebat 40 denarios ſingulum ſingulis elargiendo non ſuffecturos cognouit, in nomine Ieſu Singulis ternos dedit, & cum ſex adhuc denarij ſuppereſſent. Vides, inquit, ſocio quam bonus ſit Dominus 40. dennarios per ternos fratribus diſtribuit, nobiſque ternos æqua ſorte ſeruauit.

HISTORIA
SANCTI CONC.
I. LATERANENSIS
Generalis Noni.

Sub Caliſto Pp. II. & Henric. Imper.

A Chriſto nato anno M.C. XXI.

a *Can.*12.

QVamuis octaua *a* Generalis Synodus ſtatuerit nemini licere laicorum Principum, aut potentium virorum ſemet inſerere electioni, vel promotioni Patriarchæ, Metropolitæ, aut cuiuslibet Epiſcopi; nonnulli tamen Principes, & Imperatores Epiſcopatus, Abbatias, & cetera Eccleſiaſtica beneficia conferendi Ius *b* ſibi vindicarant, & cum turpiſſimo mercatu venales Eccleſiaſticas dignitates fecerant, indigni ad eas aſſumebantur, quamobrem quamplurima mala, ac vitia in Clero exorta erant. Contra tot igitur Eccleſiæ incõmoda ſurrexerunt (vt par erat) Summi Romani Pontifices, præcipuè *c* Gregorius VII. Eccleſiaſticæ libertatis Vindex

b *Synod. Roman. a Greg.7. habita.*

c *Bertol. Conſtant. in append.*

Vindex acerrimus, qui octaui Concilij Canonem innouans, decreuit, *a* Vt nullus Clericus Inueſtituram Epiſcopatus, vel Abbatiæ, vel Eccleſiæ de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicuius laicæ perſonæ ſuſciperet. Inueſtituræ enim appellabantur huiuſmodi electiones, quæ a Principibus per baculum, & annulum fiebant. Ac ſingulis fermè annis Concilia *b* habuit, in quibus in eo potiſſimum elaborauit, vt & fornicationem, ac ſimoniam ex Clero euelleret, & Eccleſiarum Inueſtituras ex Principum manibus eriperet. Henricum quoque Imperatorem ſæpe litteris, ac legationibus admonuit, vt ab Eccleſiarum *c* Inueſtituris, Simonia, alijſque ſceleribus abſtineret. Cumque is ſanctiſſimi Pontificis monitis obtemperare contemneret, eum Pontifex excommunicauit, ac *d* Regno priuauit; eumdem tamen poſtea ſuppliciter veniam petentem ad communionem *e* admiſit, ſed paulo poſt ad priſtinos errores redijt, ac vi, & armis Pontificem e ſede deturbare eſt auſus, & Guibertum Rauennatem Archiepiſcopum Pſeudopontificem creauit; quare Gregorius iterum *f* Henricum, communione fidelium, & regno priuauit;

a *Greg. 7. l. 4. Epiſt. 22.*

b *Extat in eius regeſt.*

c *Greg. lib. 3. Epiſt. 10*

d *Syn. lib. 3. poſt Ep. 10.*

e *libr. 4. Epiſt. 11.*

f *libr. 8. Epiſt. 5. 12. 21.*

uauit; Guibertum excommunicauit, & depoſuit.

Victor tertius, qui Gregorio proximè ſucceſſit, Synodo habita, Gregorij *a* ſentētiam in Guibertum, & Henricum latam confirmauit. Idem fecit Vrbanus ſecūdus Victoris ſucceſſor in multis a ſe Concilijs celebratis. *b* In quibus, Gregorium imitatus, multa decreta contra Simoniacos, concubinarios, & laicorum inueſtituras fecit. Tandem Paſcale ſecundo, Guibertus Antipapa obijt, & Henrico toties excommunicato, atque Imperio priuato, Germaniæ Principes Henricum eius filium ſubrogarunt, *c* qui cum Romam poſtea, vt a Paſcale Pontifice Imperialem coronam acciperet, acceſſiſſet; nihilo melior Patre effectus ſacrilega manu Pontificem cepit, in carcerem coniecit, ac vi ab illo priuilegium de Inueſtituris extorſit. Paſcalis poſtmodum duo Laterani celebrauit Concilia, in quibus priuilegium, ſeu potius prauilegium Henrico conceſſum abrogatum eſt, & excommunicationis ſententia in Henricum prolata. Verum ille paternam imitatus impietatem, non ſolum ab incepto non deſtitit, verum etiam mortuo Paſcale Gelaſium Pontifi-
cem

a *Leo Oſt. lib.3. c.71. Chron. Caſſ.*

b *Petrus Diac. li.4. c. 8.*

c *Abb. Vrſpergen. ann.1105. Vuilliel. Malmesburg. lib.5.*

cem *a* vi & armis Roma eiecit, in eiuſque locum Burdinum Bracharenſem Archiepiſcopum intruſit. Gelaſius in Galliam profectus paulo poſt diem clauſit extremum. In cuius locum omnium Cardinalium conſenſu, tum eorum, qui cum Gelaſio in Gallia erant, tum aliorum omnium, qui Romæ remanſerant, ſuffectus eſt Guido Viennenſis Archiepiſcopus *b* Caliſtus ſecundus in Pontificatu dictus, regio, atque imperiali ſanguine ortus: qui ſtatim Remis ſatis frequens habuit Concilium: *c* in quo cum Henricus ab Inueſtituris nollet abſtinere, prædeceſſorum ſententias in illum latas confirmans, eum excommunicationis ſententiæ ſubiecit, ac Romam veniens Burdinum, qui ſe Sutri communierat, cepit, *d* atque in Monaſterium ad pænitentiam agendam detruſit. Adalbertum Archiepiſcopum Moguntinum in Germania Legatum conſtituit qui ſtrenuè ſuum exequens munus, Epiſcopos, & Principes pro Eccleſiæ defenſione aduerſus Imperatorem commouit, & ingentem comparauit exercitum, qui cum non procul abeſſet ab Henrici caſtris, magno Dei beneficio, non ad

a *Pandulph. Vita Gelaſij.*

b *Sugerius Abb. in Vita Ludou. Regis.*

c *Roger. in Annal. Anglic.*

d *Petrus Diac. li. 4. c. 70. Abb. Vrſper.*

ad

ad pugnandum, ſed ad deliberandum de pace inter Imperatorem, & Pontificem duodecim ſunt ex vtraq; parte principes Viri delecti, qui vnà cum Imperatore conuenere, ac decreuerunt, vt ſchiſma omnino tolleretur, & Legati ad Pontificem deſtinarentur, a quo ſummopere poſtularent, vt in dicto generali Concilio firmiſſima ſanciretur pax: quæ maxima cum animi alacritate Pontifex audiuit; quid enim iucundius, quid vtilius Eccleſiæ Catholicæ accidere potuit, quam diuturno ſublato ſchiſmate Imperatores ad Catholicæ Eccleſiæ vnitatem, & coniunctionem redire? Coegit igitur Romæ in Lateranenſi Eccleſia Concilium Calliſtus: de quo Sugerius Abbas, *a* qui eidem interfuit, hæc habet, *Cum apud eum* (ſcilicet Calliſtum) *demorando, magno Concilio trecentorum, & amplius Epiſcoporum Laterani compoſitioni pacis de querela inueſtiturarum aſtitiſſemus. &c.* Pandulphus quoque ſcribit b *nongentos, & nonaginta ſeptem, partim Epiſcopos, partim Abbates ad Concilium conueniſſe*: in quo hæ fuerant pacis conditiones *c* inter Pontificem, & Imperatorem conſtitutæ, *Vt ſcilicet Imperator liberas Clericis, & Mo-*

a *In Lud. Reg.*

b *Loco cit.*

c *Vuelliel. Malmeſbur lib.5.*

nachis

nachis relinqueret Epiſcoporum , & Abbatum electiones . Contra verò Pontifex conceſſit electis , vt regalia ab Imperatore acciperent ; vt quæ ſunt Dei Deo , quæ ſunt Cæſaris Cæſari redderentur . Quas pacis conditiones, celebrato Concilio, Imperator coram Pontificis Legatis, Germaniæ Principum conſenſu, recepit, eiſque ſubſcripſit. Quibus peractis, Legati tum Imperatorem, tum ceteros publicè ab Eccleſiæ cenſuris abſoluerunt. In eo prætereà Concilio idem Calliſtus Pontifex omnia Burdini acta poſt eius damnationem reſcidit, & vt Eccleſiam Dei diuturnis ſchiſmaticorum factionibus labefactatam, in priſtinam reſtitueret diſciplinam, Gregorium ſeptimum, & Vrbanum ſequutus, nonnullos ſanciuit Canones, inter quos ille præcipuus. *Vt Chriſtianis, qui in Palæſtina contra Saracenos bella gerebant, auxilium mitteretur.* Finis.

HISTORIA
SANCTI CONC.
II. LATERANENSIS
Generalis Decimi.

Sub. Innocent. Pp. II. & Conrado Reg. German. *a Bernar. Abb. lib. 2. de vita ſanct. Ber. c. 1.*

A Chriſto nato anno M. C. XXXIX.

HOnorio II. Calliſti ſucceſſore defuncto *a* maior Cardinalium pars Gregorium S. Angeli Diaconum, Cardinalem Summum Pontificem elegerunt, qui deinde Innocentius II. dictus eſt. Nonnulli verò Petrum Leonis potētiſſimi Romanorum Ciuis filium Pſeudopontificem crearunt, quem Anacletum ſecundum appellarunt; de vtroque ſanctus Bernardus *b* hæc ſcribit. *Duo itaque* (inquit) *ſunt, de quibus contenditur, quis nam eorum rectius videatur Papa. Quorum primo quidem, ſi perſonas compares, vt neutri ſanè vel derogare videar vel adulari, dicam, quod dici paſſim reperies, & neminem arbitror diffiteri, quia videlicet, Innocentij noſtri vita, vel fama, nec æmulum timet; cum alterius*

b Epiſtol. 126.

rius, nec ab amico tuta ſit. Deinde ſi electionem diſcutias, noſtri itidem mox occurrit, & promotione purior, & ratione probabilior, & prior tempore. Porrò de tempore conſtat. Reliqua duo, merita probant & dignitas eligentium. Hanc enim (ni fallor) partem ſaniorem inuenies, tam Epiſcopos, quam Cardinales, Diaconos, ſiue Presbiteros, & quorum maximè intereſt de electione Summi Pontificis, & quanti in eligendo iuxta ſcita Patrum ſufficiant. Quid, & in conſecratione? non ne Hoſtienſem, ad quem ſpecialiter ſpectat, habemus? Cum igitur & electus dignior, & electio ſanior & actio ordinabilior teneatur: qua iſti ratione, immo qua contentione contra Ius, & fas, & vota omnium bonorum, inuita, & renitenti Dei Eccleſiæ praficere alium, & illum deponere tentant? Et alibi, *a* de Innocentio, loquens. *Merito illum* (inquit) *recipit Eccleſia: cuius opinio clarior, & electio ſanior inuenta eſt: Nimirum eligentium numero vincens, & merito.* Hęc S. Bernardus. Petrus *b* Leonis propinquorum viribus innixus, S. Petri Baſilicam, ceteraſq, Vrbis Eccleſias inuaſit: & Innocentius Pontifex vnà cum Cardinalibns, coactus ab Vrbe diſceſſit, & in Galliam ſe cõtulit; vbi a Rege, & ab Epiſcopis, vt

a *Epiſtol.* 125.

b *Bern. Abb. vbi ſupra.*

vt verus Pontifex recipitur, habetur, & colitur. Galliæ Regem eſt imitatus Henricus Angliæ Rex, ac Lotharius Romanorum Imperator electus cum Epiſcopis, & optimatibus Theutonici Regni. Neque in Gallia tantum, aut Germania Innocentius legitimus Pontifex habetur, ſed etiam in Hetruria, ſeu Tuſcia, Campania, alijſque propè innumeris regionibus, atque prouincijs, vt ſcribit *a* S. Bernardus, qui magnum Innocentio adiumentum attulit, in hoc ſchiſmate confutando, tum apud Imperatorem, tum apud Reges, ob eximiam doctrinæ, & ſanctitatis opinionem, atque ideo apud eos auctoritatem. Innocentius *b* ex Gallia in Italiam reuerſus, Lotharij Imperatoris viribus adiutus, ſchiſmaticos repreſſit, & Petro Leone pſeudopontifice mortuo, is qui in eius locum a ſchiſmaticis ſuffectus fuerat Victoris nomine appellatus, Pontificalibus veſtibus depoſitis, ad Pontificem ſe contulit. Iis temporibus non ſchiſmaticorum tantum factionibus Dei Eccleſia perturbabatur, ſed hæreticorum etiam nouis, & diuerſis dogmatibus oppugnabatur. Petrus de Bruis hac tempeſtate exortus eſt, aduerſus quem Petrus Cluniacenſis

a Epiſtol. 126.

b Bernar. Abb. lib. 2. c. 2. & 7.

cenſis diſputans, eius hæreſes recenſet. *a* Et primum quidem: Negat (inquit) paruulos infra intelligibilem ætatem conſtitutos, Chriſti Baptiſmate poſſe ſaluari: nec alienam fidem poſſe illis prodeſſe, qui ſua vti non poſſunt. Deinde Templorum, vel Eccleſiarum fabricam fieri non debere, factas inſuper ſubrui oportere. Nec eſſe neceſſaria Chriſtianis ſacra loca ad adorandum. Tertiò, Cruces ſacras confringi præcepit, & ſuccendi: quia ſpecies illa, vel inſtrumentum, quo Chriſtus tam dirè tortus, tam crudeliter occiſus eſt, non adoratione, non veneratione, vel aliqua ſupplicatione digna eſt; ſed ad vltionem tormentorum, & mortis eius omni dedecore dehoneſtanda, gladibus concidenda, ignibus ſuccendenda eſt. Quartò, non ſolum veritatem corporis, & ſanguinis Domni quotidie, & aſſiduè per ſacramentum oblatum negat, ſed omnino illud nihil eſſe, neque Deo offerri debere decernit. Quinto Sacrificia, oblationes, Eleemoſynas, & reliqua bona pro defunctis fidelibus, a viuis fidelibus facta deridet, nec ea quempiam mortuorum, vel in modico poſſe iuuare affirmat. Narrat etiam Petrus

a *libr.* 1. *Epiſt.* 1. & 2.

trus Cluniacenſis iure hunc Hæreticum concrematum ; cum antea impius iſte cruces dominicas in vnum congeſtas coucremauerit. Huius Petri de Bruis inpias hæreſes ſecuti ſunt penè omnes, qui poſt illum fuerunt hæretici, vt merito hæreticorum parens dici poſſit; quin etiam Arnaldus de Brixia illius ſectatus eſt errores, de quo hæc Otho Friſingenſis *a* ſcribit. *Is a ſtudio e Gallis in Italiam reuertens, religioſum habitum, quo amplius decipere poſſet, induit: omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens; Clericorum, & Epiſcoporum derogator; Monachorum perſecutor; laicis tantum adulans. Dicebat enim; Nec clericos proprietatem, nec Epiſcopos Regalia, nec Monachos proprias poſſeſſiones habentes, aliqua ratione poſſe ſaluari; cunctaque hac Principis eſſe, ab eiuſque beneficentia in vſum tantum laicorum cedere oportere. Præter hæc de ſacramento Altaris, de Baptiſmo paruulorum non ſanè dicitur ſenſiſſe.* Hęc Otho. Quare Innocentius Pontifex, tum ad has impias hæreſes damnandas, tum ad perfidos ſchiſmaticos reprimendos, ac deprauatos mores corrigendos Pontificum ſanctorum prędeceſſorum exempla

a *lib.2. de Geſt. Frid. Imp. c. 20.*

pla ſecutus[1], Vniuerſale Romæ indixit Concilium, & conuocatis ex vniuerſis Chriſtiani Orbis partibus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & aliarum Eccleſiarum Prælatis, mille circiter conuenere, vt grauiſſimi illius temporis ſcriptores *a* teſtantur: & in Lateranenſi Eccleſia illud celebrandum curauit. In quo hæretici damnantur, & inter ceteros Arnaldus de Brixia, qui tunc in Vrbe degebat; Petri Leonis aliorumque ſchiſmaticorum acta reſcinduntur, & ad priſtinam Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam, aliqua ſtatuuntur decreta. Inter quæ illud præcipuum. Quod cum per id tempus *b* ſacerdotibus, & clericis honor, quem par erat; non deferretur, *ſententiam excommunicationis tulit Pontifex in eos, qui violentas manus in clericos iniecerint*; prohibuit etiam *militum Torneamenta, in quibus cædes hominum, & animarum pericula ſemper imminent*; Quæ a poſterioribus Pontificibus, & Concilijs, & innouata, & confirmata fuere. Finis.

a *Otho Friſigenſ. loc. cit. & lib. 7. hiſt. c. 23. Centius Camerar. Abb. Aſperg. & alij.*

b *Gugliel. Neubric. lib. 1. c. 10.*

HISTORIA
SANCTI CONC.
III. LATERANENSIS
Generalis Vndecimi.

A Chriſto nato anno M.C.LXXIX.

Sub Alex. Papa III. Frideric. I. Imper.

CVm Adrianus quartus Pōtifex maximus anno a Chriſto nato M. C. LIX. Calendis ſeptembris mortem obijſſet; Cardinales, qui paulo poſt ad eligendum conuenerant, duos ſimul Pontifices renunciaſent, a alterum Rolandum Senenſem, virum omni laude præſtantem, qui vno, ac viginti Cardinalium ſuffragijs electus Alexander III. fuit appellatus; Alterum verò Octauianum Romanum, qui a tribus tantum Cardinalibus deſignatus, Pontificis nomen auſus eſt vſurpare; ortum eſt ex hac Cardinalium diſcordia ſchiſma teterrimum, quod multos annos vexauit Eccleſiam. Licet enim Alexander verus Pontifex eſſet, tamen cum Octa-

a *Acta Alexãdri ab eius tẽporis auctore Conſcript. ex Cod. Vat.*

Octauianus, qui Victor quartus vocabatur apud Imperatorem Fridericum *a* plurimum poſſet, ita Germanorum animos Imperatoris opera ſibi deuinxit, vt etiam poſtquam ipſe Victor e viuis exceſſit, Guidonem Cremenſem, & deinde Ioannem, qui in eius locum ſucceſſerunt, tanquam veros Pontifices coluerit vniuerſa Germania. Contra verò Gallia, Britania, Hiſpania, & reliquæ ferè omnes Prouinciæ *b* Alexandri partes conſtanter ſuſceperunt, excepta vna Italia, in qua aliæ Regiones Alexandro, aliæ verò Victori ſunt obſecutæ: præter ceteras autem multę Galliæ Ceſalpinæ Ciuitates nobiliſſimæ, cum ab Imperatore Friderico iuſtas ob cauſas defeciſſent, ita ſe Alexandro Pontifici addixerunt, vt nomine ipſius Vrbem Alexandriam ædificauerint, ac tandem, victo Friderico, peſtiferi ſchimatis extinguendi cauſam non leuem attulerint. Cum enim Imperator Fridericus, qui bellum accerbiſſimum cum illis gerebat, prælio ſuperatus eſſet, copiæque eius maximæ, atque firmiſſimæ, magna ex parte deletæ, adeo hac clade commotus eſt, vt cum ad eam multorum Principum Germanorum, qui ipſi ſchiſma obijciebant, cohor-

a *Radeuicus lib. 2. c. 62. & ſeq.*

b *Acta Alex. citata.*

hortationes accederent ; paulatim reſcipuerit , diſcuſſaque ſuperioris temporis caligine , lucem reſpicere cœperit , ac denique poſt duo de viginti annos , quibus apertas cum Alexandro inimicitias geſſerat , ſe ad pedes eius ſupplex *a* abiecerit , cumque illo pacem firmam , & ſtabilem conciliauerit. Tunc Alexander , qui tot annorum ſpatio in maximis turbinibus, Eccleſię clauum tenuerat , cum , ſedatis iam tempeſtatum fluctibus , ſumma tranquillitate frueretur ; vt Eccleſiæ commodis conſuleret , atque vt alij Pontifices procellas , quibus ipſe vexatus fuerat , deuitarent , in poſterum proſpiciens , Concilium Generale conuocauit ; *b* tum , vt forma aliqua electioni Pontificis apta præſcriberetur , qua ambitioſorum hominum audacia , & inſolentia deinceps reprimeretur : tum etiam vt mores hominum ſchiſmatis , & belli cauſa corruptis conformarentur , vſura , ſimonia , aliaque vitia , quæ longius ſerpebant , auctoritate Concilij coercerentur. Acceſſit præterea alia cauſa grauiſſima , quæ Pontificis animum valdè ad hoc Concilium incitauit . Nam hæreſis Catharorum , ſiue Publicanorum , vel Paterinorum , quæ in

a *Acta Alex. Ruger. Ann. part. poſt. & alij.*

b *Alex. in Ep. ſtol. Indict. Cõcil. Roger. vbi ſup. Vuilielmus de bello ſacro lib. 21. cap. 26. & alij.*

Aquitania fuerat extorta, in dies latius manabat, quibus per multi rudes, & imperiti hæreticorum fraudibus decepti in Vaſconia, & in Albegerio, & in partibus Tholoſanis, fidem habebant, necceſſeque erat huic peſti deteſtabili remedium ſtatim adhibere. His igitur cauſis commotus Alexander, Synodum generalem congregari iuſſit, ad quam non ſolum Epiſcopi, ex prouincijs Europæ, verum etiam nonnulli ex Aſia Romam aduentarunt, vt Guilielmus Archiepiſcopus Tyrius ſcribit his verbis. *Anno ab incarnatione Domini* 1178. *qui erat Regni Domini Baldouini quarti annus quintus, menſe octobri, cum anno præcedenti indicta eſſet per vniuerſum latinorum orbem Synodus Generalis, profecti ſunt de noſtro Oriente, ego Guilielmus Tirenſis Archiepiſcopus, Albertus Bethleemita Epiſcopus, Heraclius Cæſarienſ. Archiepiſcopus, Rodulphus Sebaſtanus Epiſcopus, Iotrius Aconenſis Epiſcopus, Romanus Tripolitanus Epiſcopus; Petrus Dominici ſepulchri Prior, Raynaldus Abbas Eccleſiæ Montis Syon. Paulo poſt. Per id tempus (anno ſcilicet* 1179.*) Romæ celebrata eſt Synodus in Baſilica Conſtantiniana, quæ dicitur Lateranum Trecentorum Epiſcoporum*

*lib.*21.*cap.* 26. *de bello Sacr.*

coporum Pontificatus Alexandri XX. anno, Menſe Martio, Inditionis duodecima, quinta die Menſis, cuius ſi quis ſtatuta, & Epiſcoporum nomina, numerum, & titulos ſcire deſiderat, relegat ſcriptum, quod nos ad preces ſanctorum Patrum, qui eidem Synodo interfuerunt, confecimus diligenter. Hæc Tycenſis. Anno Domini 1179. Concilium celebratum fuiſſe affirmat Rogerius eius temporis diligens ſcriptor. In hoc Concilio primum Pontifex ſtatuit ad futura ſchiſmata vitanda, *Vt non haberetur Romanus Pontifex, qui non a duabus Cardinalium partibus eſſet electus. Reſcindit ordinationes omnes a ſchiſmaticis Pſeudopontificibus Octauiano, Guidone, & Ioanne habitas. Anathematizauit præterea hæreticos omnes, atque illos, qui ab illorum communione non ſe ſeparaſſent, vel auxilium eis aliquo modo attuliſſent. Immo armis illos comprimendos eſſe decernit.* Conſtituta ſunt etiam multa alia, quæ ſine dubio magnam Eccleſiæ afferunt vtilitatem. Extantque viginti ſeptem Canones, qui apud multos ſcriptores reperiuntur, & magna ex parte in iure Pontificio continentur. Epiſcopi quoque ſchiſmatici tum Germaniæ, tum aliarum Prouin-

Annal. Anglic. part. poſter.

uinciarum, qui ab Alexandro in hoc Concilio ad Eccleſiæ catholicę vnitatem recepti ſunt, hac verborum formula ſchiſma abiurarunt. *Ego .N. Anathematizo & recuſo omnem hæreſim extollentem ſe aduerſus ſanctam Romanam Eccleſiam Catholicam; præcipuè vero ſchiſma Octauiani, Guidonis, & Ioannis, & ordinationes eorum irritas iudico, & eis contradico, & modo, & in antea me obediturum iuro, & promitto fidelitatem S. R. E. & Domino meo Alexandro, & ſucceſſoribus eius iuſte intrantibus, ipſique ſeruiam abſque omni malo ingenio contra omnem hominem ſecundum ordinem meum. Conſilia eius, quæ mihi ſcripto certo mandauerit, vel ipſe commiſerit, nulli hominum prodam, nec etiam pro periculo corporis, atque membrorum. Legatum Eccleſiæ Romanæ honorabo, & ducam, & reducam, & iuuabo expenſis, ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Euangelia.*

Alber. ſtrad. in Chron. & Crant. Eccl. hiſt. ſax. lib. 7. c. 3.

Huius Concilij decretis adiuncta eſt in nonnullis Conciliorum editionibus collectio quędam multorum Canonum, quæ in varias partes diſtributæ cum reliquis Iuris Pontificij collectionibus ſolent item circumferri; at vero cum iam tantum

Conciliorum Generalium acta, & Canones edantur, alienum videtur ab hoc inſtituto hanc longam collectionem cum huius Concilij decretis coniungere. Finis.

ADNOTATIONES.

TEmpore Alexandri tertij 1169. die 4. Februarij in vigilia ſanctæ Agathę circa primam horam diei terremotus Siciliam excuſſit tanta vehementia, vt in Calabria quoque ſentiretur, & Catanenſium ciuitas ſubuerſa interitu quindecim millium hominum, vniuerſali ruina ædificiorum; Ætnaque mons in imēſum ignes ſuos circumquaque difudit deformata tota facie Regionis.

1162. Anno 6. Pontificatus Alex. tertij celebratum eſt conciliū ſextum Turronenſe præſidente ipſo Alexandro in Eccleſia S. Mauritij 12. Kal. Iunij præſente Rege Ludouico; Interfuit huic Concilio S. Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus, quem præter morem, Papa honorificentiſſimè excepit, iuſſitque vt omnes Cardinales occurrerēt ei extra Vrbem, preter duos aſſiſtentes, fecitq; eum ſedere ad dexteram ſuam cum ſuffraganeis; & actum de reformatione morum, & Eccleſiæ.

H I-

Hiſtorici ſcribunt pacem Federici Imperat. cum Alex. Pp. III. Venetijs fuiſſe firmatam. Nam Alex. omni ſpe tuendæ dignitatis abiecta, ignoto habitu Venetias nauigauit, & tandiù in Æde publicæ Charitatis latuit, donec agnitus a Ciano Principe multa officiorum frequentia fuit omnium venerationi expoſitus, & publico ſtudio defenſus. Federicus enim Othone Filio Duce contra Venetos Pontificis propugnatores nauali prælio conflixit, ſed victor Cianus inimicis triremibus partim in alto depreſſis, partim captis cum regia naui, & Othone, qui Venetias perductus eſt, magnum ſibi, & Patriæ decus peperit. Mox rebus compoſitis Federicus inuitatu Filij Venetias tractus, & Imperiali pompa exceptus, pro foribus Marciani templi ſe ad pedes Pontificis demiſit, inde ad Aram maximam progreſſi, ſeſe complexi, manum, & oſcula iunxerunt, ac duo Principes chriſtiani nominis per hæc pacificati, diuerſa loca petiere. Federicus Rauennam contendit; Alexander Venetis triremibus Sipontum tenuit, & ſubinde cum Duce Ciano Romam profectus eſt. Quo tempore fuit aliquot inſignibus inſtructa Ducalis

Obb. Rauennas. Sabellic. Encid. l. 5.

lis Maieſtas, qualia hodiè viſuntur circa Principem. Tubæ argenteæ, Aurea Vmbella, Sella aurea, Puluinus aureus, & verſicoloria Vexilla. Quibus conſonat ſepulcralis inſcriptio Ciani Ducis.

Martinon. in Sanſou.

Ducatum titulis dotaui ingentibus, atque
Papa liber minis ſit, Federice, tuis.

Et teſtatur poſitum Veneto nomini Romanæ Vrbis Elogium; *Alexander Papa tertius Federici primi Imperatoris iram, & impetum fugiens abdidit ſe Venetijs. Cognitum, & a Senatu perhonorificè ſuſceptum, Othone Imperatoris filio nauali prælio victo, captoque, Federicus pace facta ſupplex adorat, fidem, & obbedientiam pollicitus. Ita Pontifici ſua dignitas Venetæ Reipublicæ beneficio reſtituta. M. C. LXXVII.*

HISTORIA
SANCTI CONC.
IV. LATERANENSIS
Generalis Decimi ſecundi.

A Chriſto nato anno M.CCXV.

VRbanus Secundus Pontifex in Claramontano ſatis frequenti Concilio graui oratione *a* valde côqueſtus eſt Hieroſolymitanam Regionem, in qua Chriſtus ſanguinem, vitamque noſtra cauſa profudit, cæteraque ſancta illa loca, eiuſdem Redemptoris noſtri conſacrata memoria, magno cum Chriſtiani nominis dedecore in Saracenorum manus perueniſſe. Quare Chriſtianæ Reipublicæ Reges, Principes, cœteroſque Chriſtianos adhortatus eſt, vt coniunctis viribus ſanctam illam prouinciam, ex hoſtium manibus eriperent; & quamprimum ad ſacrum bellum ſe accingerent. Ita hæc Pontificis oratio illorum animos incendit, vt pęnè di-

Sub Innocent. Pp. III & Frider. I. Imper.
a *Vuliel. Tiren. de bello ſacro. lib. 1. c. 15. & ſeqq. Vuiliel. Mahmeſburg. de reb. Anglic. lib. 4. c, 2. & alij*

& Magnatum, Ciuitatum, aliorumque locorum ingens fuit multitudo. Hæc Vrſpergenſis. In quo Concilio primum explicata eſt Catholica fides contra varios Hæreticorum errores. Damnatus liber *a* Ioachini Abbatis in Petrum Lombardum de Vnitate ſanctiſſimæ Trinitatis. Damnatum quoque dogma peruerſum impij Almarici, de quo fuſius Vincentius Belluacenſis. *b* Multa de hæreticis coercendis, & puniendis, ac de Græcis, qui ad Cattholicam Fidem reuerterant, ſtatuuntur. Item pleraque alia Catholicæ Eccleſiæ vtilia, quæ omnia capitibus ſeptuaginta diſtincta ſunt, ac in Gregorij noni decretalium collectione continentur. Poſtremò pro recuperatione Terræ Sanctæ, multæ Indulgentiæ, & priuilegia conceſſa ſunt ad ſacrum illud bellum euntibus. Ad ſubſidium bello conferendum omnes eſt cohortatus; Atque ipſe vna cum Cardinalibus, cæteriſque Prælatis non exiguam vim pecuniæ collaturum ſe eſſe promiſit. Tum excommunicat quoſcumque, qui arma, naues, aut auxilia quæuis Saracenis ſuppeditant. Pręcipit demum, vt Pax in Chriſtiano orbe toto, ſaltem per quadriennium conſeruetur. Finis.

a *Vincent. l.*30. *c.*64.

b *lib.* 29. *c.* 107.

HISTORIA SANCTI CONC. I. LVGDVNENSIS

Generalis Decimi tertij.

A Chriſto nato anno M.CC.XLV.

Sub Innocentio Pp. IV. & Imperat. Friderico ſecundo.

QVoniam ſingularis Friderici ſecundi Romanorum Imperatoris perturbatio Innocentium quartum Pontificem maximũ, præcipuè ad conuocandum Lugdunenſe Concilium incitauit; res ipſa poſtulat, vt ſimultates, quas ipſe Fridericus cum hoc Pontifice, & cum alijs geſſit, & belli accerbiſſimi, quod eiſdem intulit, initia, & cauſas breuiter explicemus. Hic igitur Fridericus Henrici quinti filius, & Friderici primi nœpos, maximis eſt a ſede Apoſtolica beneficijs affectus, *a* Puer enim parentibus orbatus, in tutela fuerat Innocentij tertij, eiuſdemque Pontificis opera ad eius dignitatis gradum aſcenderat: Pulſoque Othone *b* quarto, Im-

a *Io. Vill. lib.5. Hiſt. c.* 18.

b *Idem l.5.c.36.*

Imperator fuerat deſignatus; cui non modo parem gratiam non retulit, ſed etiam Eccleſiam Romanam multos annos diuexauit, & arma, quæ voto obſtrictus pro ſalute communi contra Saracenos capere debuit, magno Chriſtianorum omnium detrimento, ingrato animo, atque impio contra ipſos Pontifices cepit. Et quamquam principio tandiù Innocentio tertio, & reliquis Pontificibus obſequtus eſt, quamdiu id ſuis rationibus conducere putauit; tamen vbi mortuo Innocentio, inſignia Imperatoris ab Honorio tertio adeptus eſt, ſtatim cum illo graues inimicitias ſuſcepit; cum enim, & Eccleſiarum *a* iuriſditiones, & bona vſurparet, & a Clericis, & Eccleſijs tributa exigeret, ac ſæpe ab Honorio Pontifice, vt ab incæpto deſiſteret admonitus reſciſcere nollet, ab eodem Honorio communione Fidelium priuatus eſt, quam ſententiam Gregoriusquoque nonus, qui in Honorij locum ſucceſſerat, confirmauit; *b* & licet aliquando in gratiam cum Gregorio nono Pontif. Max. Imperator redijſſet, & ab eo monitus, vt votum, quo tenebatur, perſolueret, Regnumque Hieroſolymitanum, quod in ſummo diſcrimine, expugnata

a *Vinc. Beluacen. lib. 30. cap. 129. & Io. Vill. lib 6. cap. 15. & ſeq.*

b *Vinc. lib. 30 c. 138. Math. Paris Hiſt. in Henric. 3. & Io. Vill. loco cit.*

iam a Saracenis Hieroſolyma, eo tempore verſabatur, in priſtinum ſtatum reſtitueret; ipſe adeo ab hac expeditione refugit, vt eam ob cauſam in omnium fere Chriſtianorum, præſertim verò Gregorij Pontificis, offenſionem incurrerit. Attulit præterea maximam moleſtiam eidem Pontifici Fridericus, cum enim ipſius Regnum quibuſdam Pontificijs Vrbibus, & oppidis finitimum eſſet, multa, quæ ad Sanctam ſedem Apoſtolicam, pertinebant, auſus eſt occupare, & militum præſidio munire; qua iniuria commotus Pontifex, vim vi repellere coactus eſt, & Eccleſiæ Patrimonium, ne in poteſtatem Friderici veniret, armis tueri, & quamuis longo tandem interuallo, conſcripto exercitu, Imperator in Syriam ſit profectus, tamen cum nullo commiſſo prælio, ſtatim cum Ægypti Rege, qui Syriam oppreſſam tenebat, pacem fēciſſet, & verbo tantum ex pacto Hieroſolymam recepiſſet, non ſolum Pontificis animum non placauit, verum etiam exulcerauit vehementius. Itaque Fridericus apertas inimicitias cum Gregorio geſſit: bellumque illi tam acerbum intulit, vt magnam Piceni,

ceni, & Latij partem in ſuam redegerit poteſtatem: Romaque obſeſſa, ſi quos interdum ciues in obſidione caperet, crudeliter trucidaret. Cum autem Guelphorum, & Gibellinorum factiones eodem tempore ad Italiæ perniciem ærupiſſent; omneſque ferè ciuitates in contrarias partes diſtraherentur, ciueſque ipſi quaſi furijs quibuſdam agitati, alios in exilium pellerent, fortuniſque ſpoliarent; Fridericus, cuius erat flammam naſcentem opprimere, illam potius auxit ſibi Gibellinis adiunctis, Guelfos, qui Pontificis defenſionem ſuſceperant, bello ſtatim aggreſſus eſt. His igitur malis, vt mederetur Gregorius, hominiſque ſuperbi furore, atque amentia cæci, qui neque cum Saracenis vnquam bellum gerere, neque cum Chriſtianis pacem firmam haberē voluiſſet, aut omnino, aut aliqua certa ex parte nefarios conatus reprimeret, Concilium generale conuocauit. Romamque tum Epiſcopos, tum alios Patres venire iuſſit. At cum multi ex Gallia, & Hiſpania dicto audientes Romam nauigarent: Genuenſiumque triremibus veherētur, in Friderici claſſem inciderunt. Victiſque Genuenſibus

capti

capti ſunt Epiſcopi, Cardinales, & ad ipſum Imperatorem perducti. Grauem hunc Epiſcoporum caſum, ita ægrè tulit vir optimus Gregorius, vt præ animi dolore è vita paucis diebus exceſſerit, cum quatuordecim annos, menſes quinque, ſumma æquitate, & prudentia Eccleſiam adminiſtraſſet, maximoſque labores eius cauſa pertuliſſet. Succeſſit Gregorio Cæleſtinus quartus, qui cum ſtatim de vita migraſſet; Cardinales vix per XX. Menſes Innocentium quartum *a* virum doctrina, & virtute præſtantem Pontificem Maximum delegerunt. Hic Pontifex ſtatim cum Friderico de pace egit; homines grauiſſimos ad illum miſit, qui æquiſſimas ei pacis conditiones proponerent, & poſtularent, vt Patres, qui in pugna nauali capti fuerant, vt ſæpè promiſerat, liberos dimitteret. His Pontificis cohortationibus cum Fridericus obtemperare nollet, nullaque amplius conciliandæ pacis reliqua ſpes eſſet, Innocentius, vt hominis temeritatem reprimeret, atque alijs Eccleſiæ commodis conſuleret, Gregorij conſilium ſecutus, Synodum ſtatim coegit. Verum tamen, quia difficilè erat Patres Romam venire propter bella, & ſeditiones, quæ

a Vinc. lib. 30. c. vlt. & lib. 31. c. 1. Villan. lib. 6. c. 24. & ſeqq. & alij.

quæ longè, lateque diffuſæ totam iam Italiam occuparant, ſe ipſe Pontifex in Galliam contulit. Lugduneamque *a* Vrbem clariſſimam habendo Concilio delegit. Fridericus igitur ad dicendam cauſam euocatus, non venit, miſit tamen Legatos, in primiſque Thadæum quemdam eloquentem virum, & eruditum, qui aduocati officio fungeretur, dilueretque crimina, de quibus ipſe poſtulabatur. Hic Thadæus ita obijt munus ſuum, vt & Imperatorem accerrimè defenderet, & accuſatoribus multa obijceret, illorumque rationes, & argumenta refutaret; ſed tandem in vltima actione cauſa cognita, diligenterque perſpecta, Innocentius de ſententia Synódi Imperatorem damnauit; eumque è piorum communione eiectum, Imperij dignitate, & Siciliæ Regno priuauit.

a Quæ ſequuntur ex actis Concilij excerpta ſunt.

Præter hanc Imperatoris cauſam fuerunt item ab Innocentio alia negotia maximi momenti ad Synodum relata; cum enim omnes Pontifices de Chriſtianis, qui Syriam incolebant, eſſent eo tempore ſolliciti, in illiſque tuendis, & confirmandis, repellendiſque Saracenis aſſiduam curam, & diligentiam adhiberent; cumque magnus tunc

eſſet

eſſet neceſſario mittendus exercitus, ne Regio illa in poteſtatem Saracenorum iterum perueniret; Innocentius ne officio ſuo deeſſet omnes ad hanc expeditionem cohortatus eſt.

Præterea eodem tempore ardebat bello Græcia. Balduinum, qui primus ex latinis Conſtantinopolitanus fuit, quidam Græci Principes iniquo animo in Græcia dominari patiebantur, qui non ſolum ab Imperatore defecerant, verum etiam, & ipſi Baldouino, & alijs, qui poſtea rerum potiti ſunt, bellum accerrimum, ac diuturnum intulerant, & modo aperto marte, modo inſidijs, & dolo, ita eos vexabant: vt tandem Imperator, qui eo tempore Conſtantinopoli regnabat, *a* de ſuo ſtatu ampliſſimo ferè deiectus, vix nomen Imperatoris, & Maieſtatem obtineret. Hoc igitur negotium ad Eccleſiam magnoperè pertinere Innocentius exiſtimabat. Cernebat enim animo, ſi Græci latinos expellerent, periculum eſſe, ne tota ſtatim Græcia ad priſtinam conſuetudinem, moremque relaberetur, & à Romana Eccleſia diſſideret.

Egreſſi item fuerant paulo ante Tartari, *b* qui olim Scythæ Aſiatici

a Pariſ. in Henr. 3.

b Vinc. lib. 31. c. 2. & ſeq.

tici nominabantur, extra regiones, quas incolebant, & multas Aſiæ prouincias depopulati, tandem Europæ bellum intulerant. Magnæque illius parti incredibiles calamitates importarant, & in primis Pannoniæ inferiori, (quæ nunc Vngaria dicitur,) quam cæde, & incendijs vaſtatam, in ſuam redegerant poteſtatem. Occurrebant itaque vno, eodemque tempore res magnæ, & vehementer arduæ, quæ ſine generali Concilio vix pro dignitate poterant explicari; Illud etiam accedebat, quod ſuperiores Pontifices ad conuocanda Concilia commouit, mores enim hominum longè a maiorum diſciplina deflexerant, quotidieque in vitia grauiora dilabebantur; quare optabat Pontifex, vt Eccleſia priſtinum illum, qui hiſce moribus obſoluerat, dignitatis ſplendorem recuperaret. Hæc autem cura illum tantopere ſollicitabat, vt cum reliquæ cauſæ eſſent grauiſſimæ, de hac tamen primo loco in Concilio verba fecerit, & quanquam hæc omnia ſunt ad Synodum delata, tamen præcipuè in omnibus actionibus actum eſt de cauſa Friderici Imperatoris, & ad exitum perducta.

Fuit autem habitum hoc Concilium

lium in templo Maximo Lugduni anno a Chriſto nato M. CC. XLV. Pontificatus Innocentij quarti anno ſecundo. Conuenerunt multi Cardinales, Epiſcopi 140. *a* Abbateſque complures. Acceſſerunt multi viri clariſſimi, & præter cæteros Cõſtantinopolitanus Imperator, qui propè Pontificem conſedit. Interfuit Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Antiochenus.

a Pariſ. vbi ſupra.

Abſolutum fuit hoc Concilium breui temporis ſpatio. Prima enim actio habita eſt quarto Kal. Iulij. ſecunda octo poſt diebus, & paulo poſt tertia eademque poſtrema. *In his actionibus præter negotium Friderici, in tertia actione de tuendo Regno Hieroſolymitano eadem innouata ſunt, quæ ab Innocentio tertio in generali Concilio ſtatuta fuerant. Demum de mittendo Imperatori Conſtantinopolitano ſubſidio, & de Tartarorum impetu, ferociaque comprimenda nonnulla conſtituta. Illud præterea ſancitum fuit, vt dies Natalis B. M. Virginis, Deique Matris octo dierum ſpatio Celebraretur.* Alia item decreta edita ſunt, quæ maiori ex parte, in manuſcripto Innocentij regeſto continentur, & in generalium Conciliorum editionem conijciuntur. Fin.

H I-

HISTORIA
SANCTI CONC.
II. LVGDVNENSIS
Generalis Decimi quarti.

A Chriſto nato anno M. CC. LXXIV.

MIchael Paleologus, Cõſtantinopolitana Vrbe capta, Balduino Imperatore, *a* qui poſtremus ex latinis Conſtantinopoli regnauit, expulſo, Græciæ adeptus eſt principatum. Quare magnum erat periculum, ne Græci omnes ad priſtinos redirent errores. Nam Michaele Patriarcha Conſtantinopolitano, & Leone Acridano Epiſcopo auctoribus, *b* Conſtantino Monomacho Imperante, Græci a Romanæ Eccleſiæ obedientia omnino defecerant, ac Latinorum ritum miſſæ ſacrificium in Azymo peragendi, Sabbati ieiunium, ac pleraſque alias Romanæ Eccleſiæ conſuetudines, damnare auſi erant. Negabant preterea Spiritum Sanctum a Filio procedere,

Sub Greg. Pp. X. & Rudulpho Imper.

a *Niceph. Gregor. lib. 4. Hiſtor. Georg. Pachimer. lib. 5. Io. Vill. lib. 6. c. 72.*

b *Humbert. in lib. contra Græcos.*

ac latinos Anathematis vinculo deuinctos eſſe affirmabant, propterea quod particulam illam *(Filioque)* Conſtantinopolitano Symbolo addidiſſent. Hos errores multo ante Photius *a* Romanæ Eccleſiæ hoſtis accerrimus, promulgauerat, quem poſteriores ſecuti ſunt Græci. Non defuerunt Romani Pontifices officio ſuo, ac muneri, vt eos ad veritatis tramitem reducerent. Præſtitit in primis hoc Leo nonus, qui Legatis, ac litteris Michaelem *b* Conſtantinopolitanum, Leonem Acridanum, vt reſcipiſſerent, admonuit; atque id facere recuſantes, à Pontificis Legatis Anathemate percuſſi ſunt. Idem effecere, qui Leonem ſecuti ſunt Romani Pontifices. Tandem Balduini opera, *c* qui primus ex latinis Conſtantinopolitanus Imperator fuit, Græci ad Eccleſiæ Romanæ obedientiam reuerterunt, ſed latinis paulatim ex Græcia pulſis; paulatim quoque Græci ad vetus ſchiſma reuertuntur. Cum autem poſt duorum annorum Apoſtolicæ ſedis interregnum Gregorius decimus, *d* qui in exercitu Chriſtianorum aduerſus Saracenos in Syria commorabatur, Pontifex eſſet electus, protinus Legatos ad Michaelem Paleologum deſtinauit, vt eum

a *In Epiſt. Encyclica ad Patriarc. Orientis.*

b *Epiſt.* 1. & 6. & *Leo Oſtien. Chron. caſin. lib.* 2. *c.* 89.

c *Vincen: Beluac. l.* 29. *c.* 65.

d *Mart. Pollon. Io. Vill. lib.* 7. *c.* 40. 44. *Guliel. de Nangeſ. in vita Phil. Regis*, & *Georg. Pachymeres lib.* 5. *hiſt.*

eum ad Catholicam Fidem reduceret. Sciens præterea Gregorius in Magno diſcrimine res Chriſtianorum in Syria verſari; Prædeceſſorum Pontificum veſtigijs inhærens, generale Concilium conuocauit, in quo de ſubſidio Chriſtianis mittendo, in Syria degentibus, ageretur. Rem etiam arduam iudicauit, ac dignam, de qua in Concilio ageretur, de Græcis nimirum ad Catholicæ, ac Romanæ Eccleſiæ Fidem, communionemque traducendis. Acceſſit huic tertia cauſa, quæ priores Pontifices ferè ad inducenda Concilia permouerat; vt ſcilicet Chriſtianorum mores ad priſtinam Eccleſiaſticam diſciplinam informarentur, & modus aliquis præſcriberetur ad celerem Romani Pontificis electionem faciendam; multa enim mala ex longa Romanæ Eccleſiæ vacatione accidere ſolebant. Scripſit igitur omnibus Epiſcopis biennio ante. Concilij celebrationem, vt ad Concilium Lugduni conuenirent. Scripſit Regibus atque Principibus, vt ipſi quoque Oratores ad Synodum mitterent: viros præterea, & ſanctitate, & doctrina præſtantiſſimos euocauit. In his fuere S. Thomas Aquinas, *a* qui dum ad Concilium proficiſcitur

a *Matt. Veſt. Monaſterien. in ann.* 1274. *& Vill. lib.* 9. *cap.* 118.

tur ex hac vita ad Dominum migrauit: ac S. Bonauentura, quem Lugduni Pontifex Cardinalem Epiſcopum Albanenſem creauit. Conuenerunt igitur ad indictum diem Lugduni, præter Conſtantinopolitanum, & Antiochenum Patriarcham, Epiſcopi quingenti; Abbates, *a* & inferiores Prælati permulti. Adfuit quoque Iacobus Aragoniæ Rex, aliorum verò Regum, ac Principum Oratores complures. Quocirca prima Seſsio celebrata fuit ſeptima die Maij *b* anno Domini 1274. in qua Pontifex tres illas cauſas cur Concilium conuocaſſet expoſuit. Peracta ſecunda ſeſſione Pontifex, Cardinales, & Epiſcopi decimas omnium Eccleſiaſticorum reddituum pro ſubſidio belli Hieroſolymitani colaturos ſe eſſe promiſerunt. Poſt tertiam ſeſſionem ad Concilium Imperatoris Græcorum Legati aduenerunt, atque honorificentiſſimè a Summo Pontifice, & a Synodo vniuerſa ſunt excepti: & in ſolemni miſſa, quam Pontifex celebrauit, Symbolum eſt cum additione illa (*Filioque*) ter græcè decantatum. In quarta verò ſeſſione, lectis Imperatoris, & græcorum Epiſcoporum litteris, *c* in quibus Catholicam Fidem profitebantur, &

a *Mart. Pollon. Guillerm. de Nang. Vit. Ph. R.*

b *Quæ ſequuntur ex actis Concilij excerpta ſunt.*

c *Matth. Veſt. Monaſterien. vbi ſupra.*

& Romanæ Eccleſiæ primatum agnoſcebant, eorum Legati Summo Pontifici obedientiam exhibuerunt, & magna cum Pontificis, ac totius Concilij lætitia eamdem publicè profeſſi ſunt fidem. Addunt Græci ſcriptores Georgius Pachymeres, *a* & Nicephorus Gregoras *b* Græcos ad communionem Romanæ Eccleſiæ admiſſos fuiſſe cum tribus conditionibus. Prima fuit, *Vt a Græcis Summi Romani Pontificis, in ſacris Miſſarum Myſterijs, mentio fieret*. Secunda, *Vt Græcis omnibus liceret ad ſedem Apoſtolicam apppellare*. Tertia, *Vt Summo Romano Pontifici Principatus in omnibus deferatur*. Acceſſerunt etiam Tartarorum Oratores ad Concilium pro pace cum Chriſtianis ineunda, ex quibus vnus Chriſtianam fidem amplexus, a Petro Epiſcopo Oſtienſi baptizatus eſt. Interim Sanctus Bonauentura ſummo cum Pontificis, ac Patrum omniũ dolore ab humana, ad cæleſtem vitam profectus eſt. Demum cohortatus eſt Gregorius Epiſcopos vniuerſos ad ſancte, pieque viuendum, & ad gregibus ſibi commiſſis inuigilandum; cum ex malorum Paſtorum moribus reliqui omnes Chriſtiani, a maiorum diſciplina degenerantes, in grauiora vitia prolabi ſoliti

a *lib. 5. hiſtor.*
b *Ibid. in princ.*

liti

liti ſint. In hoc Concilio decreuit Pontifex, Græcis etiam ipſis conſentientibus *Spiritum Sanctum vt à Patre, ita à Filio, tanquam ab vno principio æternaliter procedere*; Complures præterea edidit conſtitutiones, quarum præcipua illa fuit, in qua *modus, & locus Summi Romani Pontificis eligendi ſtatuitur*. Eas omnes Gulielmus Durantes, commentarijs illuſtrauit, & deinde Bonifacius octauus Summus Pontifex in Suam Canonum collectionem retulit. Finis.

ADNOTATIONES.

GRegorius decimus Romæ die 27. Martij 1272. coronatus, & conſecratus eſt, rebus Eccleſiæ pacatis, in præſentia Gallorum Regis, & inter Venetos, & Genuenſes quinque annos induciarum pepigit; Florentiam interdicto ligauit, quod Gibellinos eò per ſe remiſſos eiecifſet. Mortuus eſt Aretij in Tuſcia quarto Idus Ianuarij ann. 1276. ibique ſepultus in Cathedrali S. Donati.

HI-

HISTORIA SANCTI CONC. VIENNENSIS

Generalis Decimi quinti.

A Chriſto nato anno M.CCCXI.

IN Hieroſolymitana Vrbe erat Religioſorum militum Ordo a inſtitutus, qui cum iuxta templum Domini cohabitarent, Templarij dicti ſunt. Horum munus, & officium fuit tueri fines, ac vias Hieroſolymitanæ ditionis ab incurſionibus hoſtium, & latrocinijs: vt aduenæ, ac peregrini ad ſancta illa loca inuiſenda tutò poſſent accedere. Ex hiſce militibus multi olim Chriſti cauſa,&ſãguinem profuderunt, & frequenter vitæ diſcrimen adierunt. Verum deinde a ſancto hoc inſtituto recedentes Patriarchæ Hieroſolymitano, a quo prima beneficia acceperant obedire renuerunt. Eccleſijs decimas, & primitias ſubtraxerunt, atque omnibus

Sub Clem. Pp. V. Henrico VII. Imp.

a Vuiliel. Tir. de bello Sacr. lib.12. c.7.

redditi ſunt infeſti. Aſyſſinorum etiam legatum a Templarijs contra Iuſgentium fuiſſe occiſum ſcribit Vuilielmus Tyrenſis. *a* Præterea ad Clementem quintum Summum Pontificem multi Principes Viri detulerunt, *b* eos in hæreſim, Apoſtaſiam, aliaque nefanda vitia incidiſſe. Pontifex, an hæc vera eſſent diligenter inueſtigauit, & quibuſdam Cardinalibus, vt ipſi quoque inueſtigarent, præcepit, ac tum Magiſtrum ordinis, tum complures alios comperit in ea nefanda vitia eſſe prolapſos; Cumque Templariorum religio eſſet toto iam ferè Chriſtiano orbe proſeminata, atque diſperſa, Clemens, vt remedium aliquod huic tanto malo poſſet afferre, Concilium generale cenſuit conuocandum. Per idem tempus peruerſi quidam homines hæreſes diſſeminabant, *c* vt Petrus Ioannis, qui *Animam rationalem, formam eſse humani corporis negabat; Gratias, & virtutes in baptiſmo non infundi aſſerebat, Chriſtumque adhuc viuentem fuiſſe lancea vulneratum.*

In *d* Alemania quoque ſurrexerant Beguardi peſſimi homines, ac Beguinæ infideles, ac peruerſæ fœminæ, qui primum quidem aſſeuerabant, *Hominem in hac vita quo-*

a *lib.* 20. *c.* 32.

b *Clem. in Epiſtol. conuocati Concil. Blond. lib.* 9. *Decad.* 2

c *Guid. Carmelit. in ſumm. de hæreſ. in hæreſ. Petri*

d *Sanct. Antonin.* 3. *part. Hiſtor. tit.* 2. *c.* 3.

que

que tantum, ac talem perfectionis gradum poſſe conſequi, vt penitus impeccabilis redatur, neque in gratia amplius proficere poſſit. Secundo, *Nec ieiunare, nec orare quemquam oportere, vbi fuerit gradum perfectionis huiuſmodi conſecutus* Tertio *eos, qui ſunt in hoc perfectionis gradu, & ſpiritu libertatis, non eſſe humanæ ſubiectos obedientiæ, neque vlla præcepta Eccleſiæ ſeruare debere*. Quarto *Poſſe hominem ita finalem beatitudinem iuxta omnem perfectionis gradum in hac vita adipiſci, vt eam in vita beata obtinebit*. Quinto *Quamlibet intellectualem naturam in ſe ipſa naturaliter aſſe beatam, neque animam indigere lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum*. Sexto *ſe in actibus exercere virtutum, eſſe hominis imperfecti, quia anima perfecti dimittit a ſe virtutes*. Septimo *mulieris oſculum, (cum ad hoc non inclinet natura) eſſe mortale peccatum, actum autem carnalem (cum ad hoc inclinet natura,) non eſſe peccatum, maximè cum tentatur exercens*. Octauo *In eleuatione corporis Ieſu Chriſti, ab huiuſmodi perfecto homine aſſurgendum non eſſe, aut ei reuerentiam exibendam;* aſſerebant enim *fore imperfectionem eidem,*

dem, ſi a puritate, & altitudine ſuæ contemplationis tantum deſcenderet, vt de Sacramento Euchariſtiæ, aut de paſſione humanitatis Chriſti, quidquam cogitaret. Ad has igitur nefarias hæreſes damnandas, *a* & propter Templariorum cauſam, ac recuperationem terræ ſanctæ, Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum ſtabilitatem, ac libertatem; atque ad prauatos mores hominum corrigendos, Clemens generale Concilium Viennæ in Gallia biennio ante indixit; Conuocauit igitur Archiepiſcopos, & Epiſcopos. Per litteras etiam Regibus ſignificauit, vt Oratores ad Synodum deſtinarent; ſed cum ad conſtitutam diem Concilium haberi non potuiſſet, illud in aliud biennium prorogauit. Anno igitur ſeptimo Clementis, qui fuit annus Domini 1311. Clemens Summus Pontifex cum Cardinalibus, ac amplius Trecentis *b* Epiſcopis, atq; alijs Prælatis ad Concilium Viennę conuenit. Ibi Petri Ioannis, Beguardorum, ac Beguinarum hæreſes condemnauit. Templariorum ordinem extinxit: eorumque bona Hoſpitalarijs Militibus attribuit. De terræ ſanctæ verò recuperatione eadem ferè decreuit, quæ priores Pontifices, in Generalibus Concilijs antea conſtituerant.

a Clen. in Epiſt. conuoc. Conc.

b Sanct. Antonin. 3. part. hiſt. tit. 21. c. 3.

rant. Multas edidit conſtitutiones Eccleſiaſticæ diſciplinæ perutiles, quas vnà cum alijs, tum ante, tum poſt Concilium editis in vnum volumen contulit, quod volumen cum morte præuentus, promulgare non potuiſſet, Ioannes XXII. qui illi in Pontificatu ſucceſſit, poſtea in lucem edidit; eamque collectionem Clemẽtinas appellauit. Veruntamen cum huiuſmodi Concilij propria decreta a Clementinis ſeparata non reperiantur; viſum non eſt iam ab alijs Clementis conſtitutionibus illa eſſe ſeiugenda, aut in Conciliorum editionem conijcienda, cum præſertim & ipſe Clemens, & Ioannes *a* eius ſucceſſor in vnum volumen, quod eſt in manibus iam tum retulerint. Peractò demum Concilio, aliqua conceſſit Pontifex Epiſcopis, qui ad illud conuenerant, priuilegia. Finis.

a *In Proœm. Clem.*

ADNOTATIONES.

HOc Concilium celebratum eſt vt ſupra anno a Chriſto nato 1311. Kal. Nouemb. Viennæ Allobrogum, quæ nunc vulgò Geneua nuncupatur; vbi interfuerunt duo Patriarchæ Antiochenus, & Alexandrinus; durauitque hoc Concilium integro biennio.

HISTORIA SANCTI CONC. CONSTANTIENSIS

Generalis Decimi Sexti.

A Chriſto nato anno M. CCCCXIV.

Opera Sigiſmundi Imperat. in Schiſmate S. Sedis, die 6. Nouembr. a Ioann. 23. indict. & a Martino V. finitum ann. 1418. die 22. April.

Oncilium Conſtantienſe cum præcipuè congregatum fuerit extinguendi ſchiſmatis cauſa, quo iamdiu Eccleſia laborabat, & in tres diuiſa partes, quis eſſet verus omnino, & certus Pontifex vix agnoſcebat; res grauiſſima, quæ diù, multumque Chriſtianos torſit, ſuo iure poſtulare videtur, vt huiuſce ſchiſmatis initia paulo altius repetantur, & quis tum fuerit Eccleſiæ ſtatus, atque illorum temporum conditio breuiter explicetur. Ac primum quidem illud inter omnes conſtat, Clementem quintum Pontificem Maximum anno à Chriſto nato M. CCC. V. Sedem Apoſtolicam in Galliam tranſtuliſſe, ac tùm ipſum, tùm eiuſdem ſucceſſores

ceſſores ſeptuaginta annorum ſpatio, non ſine magno Romanæ Eccleſiæ, atque Italiæ detrimento ibidem perſtitiſſe. Tandem Gregorius XI. cùm ſecum ipſe reputaret clades magnas, quæ ex hac Pontificis abſentia in Italiam totam, præſertim verò in Romanam ditionem redundabant, cum videret Patrimonium Sancti Petri magna ex parte a Tyrannis occupatum, ciuitates nobiliſſimas ſeruitute oppreſſas, totamque illam Regionem ciuili bello deformatam; denique propter ſtudia partium, homines odio, & furore inflammatos, nullam æquitatis, nullam iuſtitiæ, nullam humanitatis rationem habere; decreuit tandem grauiſſimis hiſce cauſis commotus, relicta Gallia, Romam commigrare; quamuis enim Gallus eſſet, ſciretque Gallos ægrè laturos; voluit tamen (vt optimum Pontificem decebat) patriæ ſplendori, & Gallorum vtilitati Reipublicæ ſalutem, & Eccleſiæ dignitatem anteferre. Venit itaque Romam Gregorius, magnoque ciuium omnium concurſu, & incredibili lætitia exceptus, cum ſtatim in conciliianda pace, in alliciendis ad virtutem, atque ad officium ciuibus, in reſtituendis ædificijs vetuſtate

collapſis, & in alijs huiuſmodi, optimo Paſtore, atque Pontifice dignis, omne ſuum ſtudium, atque operam collocare cæpiſſet paulo poſt morbo oppreſſus ſummo ciuium, & Chriſtianorum omnium mærore, è vita diſceſſit. Cum autem poſt eius obitum ſe Cardinales ad electionem ſucceſſoris compararent; ecce ibi populus Romanus veritus, ne fortè Gallus quiſpiam, qui Auenionem rediret, Pontifex deligeretur, Cardinales adijt, rogauitque, *Vt de Italo Pontifice creando cogitarent, qui Romæ perpetuò commoraretur, neque in Galliam remigraret*. His populi præcibus cum Cardinales paucis reſpondiſſent, *Sibi in animo eſſe Eccleſiæ dignitati, atque vtilitati (vt par erat) totis viribus proſpicere*. Mox dimiſſo populo in Conclaue, vt mos eſt, incluſi confeſtim de electione Pontificis diligenter agere cæperunt. Erāt ipſi magna ex parte Galli, ſed cum inter ſe primò non conſentirent, alijque alijs cedere nollent; tandem communi omnium conſenſu Bartholomçum Prignanum Neapolitanum Archiepiſcopum Barenſem extra collegium Summum Pontificem deſignarunt. Affirmant nonnulli eos eſſe teſtatos, ſe populi Romani metu,

tu, ſuis ſuffragijs illum nominaſſe. Verum quomodocumque ſe res habeat, re vera *a* Bartholomęus Pontifex conſtitutus eſt, & Vrbanus ſextus appellatus; quo circa magno apparatu, Romanorumque lætitia Inſignia Pontificatus accepit. Sed cum poſtea nimiam eius ſeueritatem improbarent Cardinales omnes, vno excepto, per ſpeciem vitandi caloris æſtiui, primo Anagniam, deinde Fundos ſeceſſerunt; Ibique cum ſe timoris cauſa Vrbano Pontificatum detuliſſe affirmarent, eius electionem irritam eſſe declararunt; cunctiſque ſuffragijs Robertum Gebennen, qui Clemens VII. dictus eſt, deſſignarunt Pontificem, qui mox in Galliam recedens cum Cardinalium Collegio, more ſuperiorum Pontificum, Auenione, quæ Vrbs ſita eſt in Prouincia, ſui Pontificatus ſedem collocauit. Hinc igitur ortum ſchiſma teterrimum, totaque Europa in contrarias partes diſtracta. Vrbanus ſe Iure, atque aliorum Pontificum more creatum eſſe affirmabat, neque poſſe Cardinales timoris excuſatione prætexere, cum etiam aliquot poſt electionem menſibus, Romæ commorati, liberè actis Pontificijs, affuerint, ipſumque tan-

a Blondus decad. ſecund. lib. 10, Thom. Vital. ſingul. hiſt. Angel. in Ricar. ſecundo. Baptiſ. Platin. in Vrban. VI, & alij.

quam verum Pontificem ſæpe venerati ſint. Contra Clemens populi Romani minas in medium proferebat, & Cardinales non ſpontè, ſed metu coactos ad Vrbanum inclinaſſe, eumque verbo dumtaxat, non re ipſa Pontificem creatum eſſe dicebat. His igitur rationibus vterque Pontifex adductus, alterum contemnebat, ac tùm ipſum tùm eius Cardinales execrabatur. Cum autem Reges, & Prouinciæ non apertè intelligerent, vter verus eſſet Pontifex, alij hunc, alij illum varijs rationibus permoti ſequebantur. Et quamvis multi, temporis decurſu, ſententiam mutarint, tamen principio Italia tota (Regno Neapolitano excepto) Germania, Vngaria, Anglia, Polonia, & aliæ Prouinciæ Vrbanum ſequtæ ſunt, eumq; tanquam verum Pontificem ſumma obſeruantia coluerunt; At vero partes Clementis amplexa eſt Gallia, & ferè Hiſpania tota, item Scotia, Regnum Neapolitanum, & multæ præterea Prouinciæ, ac Principes Viri. Vterque Pontifex in eo maximè elaborauit, vt omnes ad ſe alliceret; Vrbanus vero, quia relictus fuerat a Cardinalibus (vno excepto) nouum Collegium inſtituit, multosque viros virtute, & eru-

ditione

ditione præſtantes in Cardinalium numerum cooptauit. Verum quia hoc loco non agitur de rebus ipſorum Pontificum geſtis, ſed tantum de ſchiſmatis cauſis, illud commemorare ſit ſatis in locum Vrbani, qui annos ferè duodecim vixit, Bonifacium nonum ſucceſſiſſe, & in locum Clementis Benedictum Hiſpanum XIII. qui triginta & eo amplius annos Pontificis nomen apud ſuos retinuit. Bonifacio ſucceſſit Innocentius VII., & Innocentio Gregorius XII. Is cum Pontificatum gereret, iamque Chriſtiani omnes hoc ſchiſma ægerrimè ferrent, egerunt ſæpè nonnulli Viri generis nobilitate, & auctoritate clariſſimi cum ipſo, & Benedicto; vt iam tandem hoc ſummum Eccleſiæ detrimentum delerent, quod ſi id neceſſarium eſſet ad ſchiſma reſtinguendum, vterque de ſuo Iure cederet, aliuſque tandem verus, & certus Pontifex deligeretur. Cardinales in primis, tum Gregorij, tum Benedicti totis viribus vtrunque ad concordiam hortabantur, dabantque in primis operam, vt ambo conuenirent, ſimulque communem illam perniciem depellerent: ac ſi res poſtulare videretur, vterque ſe Pontificatu abdicaret.

ferunt Pontifices Gregorius, & Benedictus, amboque quaſi deſiderio proſpiciendi Eccleſiæ laboranti flagrarent, illico Cardinalium comitatu ſepti, iter ingreſſi ſunt, ſed paulo antequam accederent, cum vterque alterius inſidias timeret, aut ſe timere, extrinſecus ſaltem ſimularet, neuter, quantumuis Cardinales animum darent, ad locum deſtinatum voluit peruenire. Id verò moleſtiſſimè ferrentes vtriuſque Pontificis Cardinales, cum inſidias illas fictas, & commentitias exiſtimarent, ac tum Gregorium, tum Benedictum Eccleſiæ dignitati ſuam vtilitatem anteponere arbitrarentur, continuò ab ipſis diſcedentes, *a* Piſas aduolant, Concilium Congregant; accedunt multi Epiſcopi, quibus Eccleſiæ ſalus cara in primis erat, eamque tam graui, ac diuturno ſchiſmatis morbo tot annos laborare per iniquo animo patiebatur. Defertur hoc negotium grauiſſimum ad Concilium, vocantur in Ius Gregorius, & Benedictus, examinatur cauſa; ad extremum, cum ipſi adeſſe nollent, ſumma totius Synodi approbatione, vtrique Pontificatus abrogatur. At ne amplius Eccleſia certo,

a Thom. Vual. Sing. in Heric. 4. Blod. & alijs loc. cit.

to Pontifice eſſet orbata, ſtatim a Cardinalibus Petrus Philargius Cretenſis vir optimus, atque doctiſſimus renunciatur, qui Alexander quintus vocatus, ſumma bonorum omnium gratulatione in ſancti Petri ſede collocatur. His peractis cum omnes gaudio exultarent: cum Cardinales, & Synodus ſe iam Eccleſiæ dignitati optimè conſuluiſſe, ipſique Eccleſiæ ſanitatem omnino attuliſſe exiſtimarent, reuixit continuò ſchiſma; quod extinctum putabatur, imò vero non reuixit, (neque enim erat extinctum) ſed cum in occulto flamma lateret, repentè maiore impetu erupit, maiuſque incendium excitauit. Cum enim Gregorius, & Benedictus Synodo parere, ſeque Pontificatu abdicare nollent, ſtatim illud in controuerſiam venit; Num Synodus Piſana in illos animaduertere potuerit, præſertim cum eorum alteruter, verus eſſet Pontifex, tametſi vter is eſſet, non planè conſtaret? Itaque cum hoc ſchiſma duo tantum capita haberet initio, Synoduſque vtrumque vellet abſcindere, tria ſimul eodem tempore ſubito extitere. Nam præter Alexandrum, qui in Concilio Poncifex fuerat conſtitutus,

retinebat adhuc Gregorius nomen Pontificis, eumque nonnullæ Italiæ ciuitates tanquam verum Pontificem colebant: Nominabatur etiam Benedictus Pontifex, eumque maxima Hiſpaniæ pars, & nonnulli Galliæ Proceres ſequebantur. Erant denique tres nomine Pontifices. Ipſaque Eccleſia, quæ in duas partes antea fuerat diuiſa, tùm in tres partes quodamodo diſtrahebatur. Sed opem tulit aliquando tantis malis Deus optimus Maximus, poſt quàm turbulentas adeò tempeſtates, quibus Eccleſia iactata fuerat, ſedatis fluctibus attulit tranquilitatem. Alexander igitur Piſis delectus, cum Concilium ipſum ad negotia Eccleſiæ conſtituenda maximè neceſſarium arbitraretur, noluit illud diſſoluere; attamen grauiſſimas ob cauſas, in tempus Magis opportunum reſeruauit; atque inde Bononiam profectus, paulò poſt morbo extinctus eſt, cum decem menſes Pontificatum geſſiſset. Succeſſit in eius locum Ioannes XXIII. qui de transferendo Concilio Piſano in commodiorem aliquem locum, ad quem tutus omnibus pateret acceſſus, ac de reſtituenda Eccleſia in priſtinum ſtatum ſeriò cogitare cœpit.

In-

Incitabat illum, præter negotium ſchiſmatis, aliud maximum Eccleſiæ detrimentum, quod eodem tempore impendebat. Cum .n. Ioannes Vuicleffus *a* Anglus, homo ſceleratus, multas hæreſes diſſeminaſſet, eaſque varijs libris complexus eſset, tantam pernitiem huiuſmodi ſcriptis etiam mortuus attulit, vt multi venenum illud mortiferum libenter haurirent, ac tanquam furioſi, amentiaque præcipites, periculum ſummum, quod in illis latebat, quamuis admoniti vitare nollent: quin etiam (quod mirum eſt) cum in Boemiam iam libri perueniſsent, tanta fuit illorum hominum ſtultitia, vt cum primo iuſſu Pontificis Maximi, Archiepiſcopi, tùm Cantuarienſis, tum Eboracenſis in Anglia, & Pragenſis in Boemia, eos libros damnaſsent, ac deinde Pragenſis eos palam comburi iuſſiſset; Poſtea vero Patres in Synodo Romana eos libros iterum condemnaſsent, multi tamen plus Ioanni Huſz, qui illorum librorum, errorumque patrocinium ſuſceperat, quam reliquis omnibus crederent; nec ſolum domi retinerent, verum etiam auro codices peſtilentiſſimos exornarent. Erat ſacerdos Ioannes Huſz, *b* & ſimulatione

a Thom. Vual.ſing. in Eduar. 3. & Ricad. 2. & Concil. Conſtant. ſeſſ. 8.

b Aeneas Siluius hiſt. Bohem. c. 35 & ſeq.

latione ſanctitatis, multos ſibi in Boemia deuinxerat: In ſuis autem concionibus repugnante Archiepiſcopo ſummis laudibus Vuicleffum efferebat, populumque ipſum, tum ad eius doctrinam amplectendam hortabatur, tum vero homo nefarius alias hæreſes impudenter addebat, quas apud Patres in Synodo Generali ſe defenſurum eſſe iactabat. Cum igitur tantum malum in dies latius ſerperet, magnamque Boemiæ partem occuparet, vix iam ſine Concilio huic deteſtabili peſti remedium poterat adhiberi. Huc accedebant Simoniæ labes, aliaque vitia maxima, quæ occaſione ſchiſmatis paulatim irrepſerant, ſtatumque Eccleſiæ ita deformabant, vt etiam ſi nulla alia cauſa ſubeſſet, vel hæc vna ſuo iure Concilium poſtularet, maximi enim momenti erat.

Itaque Ioannes hiſce cauſis permotus, & Sigiſmundi Romanorum Imperatoris electi conſilio adductus, quinto Idus decembris anno à Chriſto nato M. CD. XIII. *a* Concilium indixit, cumque Conſtantiam, Vrbem in Germania propè Heluetios ſitam delegiſſet, ipſe anno proximo *b* quinto Kal. Nouemo-

a *Bullà Conuocat. Concil. quæ in ſeſſ. 1. continetur.*

b *Seſſ. 1. in princ.*

uembris cum maximo, ornatiſſimoque Cardinalium, & aliorum Antiſtitum comitatu Conſtantiam venit, paucis poſt diebus initium Concilio dedit. *a* Conuenerunt ad hanc Synodum multi Patres viri doctrina, & probitate clariſſimi, multi item viri potentia, generiſque ſplendore; In primis verò ipſe Romanorum Rex Sigiſmundus, qui magnam ſpeciem in eo pietatis, & religionis dedit; Comitati ſunt eum permulti Germaniæ, atque Vngariæ principes ampliſſimi, qui & ſi non omnes eodem tempore, ſemper tamen aliqui Conſtantiæ permanſerunt. Inchoato deinde Concilio, tametſi eam ob cauſam potiſſimum erat coactum, vt ſchiſma extingueretur, nunquam in eo elaborarunt Patres, vt ſingulorum Pontificum ius perpenderent, aut quis reliquis præferendus eſſet rationibus, & argumentis exquirerent. Erat id enim difficilimum, vixque vnquam ad exitum fuiſſet Cauſa perducta. Itaque Patres id vnum curarunt; vt illi tres Pontifices de ſuo quiſque Iure decederent, aliuſque verus, & certus, de quo nulla poſſet eſſe dubitatio, Pontifex deligererur. Quamuis autem Ioannes

a *Hæc omnia coſtãt ex actis.*

Ioannes XXIII. Synodum congregaſset, ſeque Pontificatui ceſsurum promiſiſset, ſi Gregorius, & Benedictus ſe vellent abdicare, tamen mutato Conſilio clam noctu Pontificijs inſignibus abiectis Conſtantia diſceſſit, & ſe in oppidum quoddam Ducis Auſtriæ, cuius auxilium implorauerat metu perterritus recepit. Tulit grauiter Synodus Ioannis diſceſsum, acerbèque in eum inuecta eſt. Fuerant Ioanni præterea multa obiecta crimina, de quibus continuò Patres cognouerunt, iudiciorumque ordine ſeruato, primò quidem eum a Pontificatus adminiſtratione remouerunt, paucis verò poſt diebus poſtrema lata ſententia eidem Pontificatum abrogarunt. Tulit Ioannes moderatè, atque adeo ſuo aſſenſu Synodi ſententiam comprobauit, ac ne qua vnquam dubitatio poſset exiſtere de ſuo Iure ſpontè deceſſit, ſeque Pontificatu abdicauit; Atque ita eſt Ioannis ad exitum cauſa perducta. Hæc acta ſunt vſque ad Actionem XII. quæ habita eſt quarto Kal. Iunij anno M.CD.XV.

a *Seſſ.8.& 15.* Præterea *a* errores Ioannis Vuicleffi, & Ioannis Vuſz examinati ſunt, eorumque cauſa doctiſſimis

mis hominibus commiſsa, qui cum attentè libros eorum legiſsent, multa in ijs deprererunt a Religione Chriſtiana aliena; in primis vero apud Vuicleffum quadraginta quinque, & apud Ioannem Huſz, triginta articulos pernitioſos, qui, & ſi non omnes in eodem impietatis gradu verſarentur, alijque eſsent alijs deteriores; tamen in omnibus peſtiferum latebat virus, omneſque ſalutari Eccleſiæ doctrinæ, aut omninò, aut aliqua certè ex parte aduerſabantur. Quare Synodus articulis in medium prolatis, non ſolum libros damnauit, eorumque lectionem Chriſtianis omnibus interdixit, verum etiam auctorem ipſum inter hæreticos retulit, atque Anathemate perculit, & eius oſſa iuſſit, & quo modo agnoſci poſſent, è ſepulchro eruta concremari. Porrò cum ipſe Ioannes Huſz. Conſtantiam veniſſet, vt Vuicleffi hæreſes, & ſuas coram Patribus tueretur, ac principio aſſentiri Synodo ſe velle dixiſſet, deinde tamen ad ingenium rediens, ſui, & Vuicleffi errores defendere, quàm veram Eccleſiæ doctrinam ſequi maluit, in illiſque perſiſtens, a Patribus de hæreſi damnatus, viuus exuſtus eſt. Acceſſit idem ad Concilium,

cilium Hieronymus Praga eiuſdem Ioannis ſocius, & eorundem errorum propugnator accerrimus. *a* Huic fidem publicam poſtulanti Concilium dedit, ſalua tamen Iuſtitia, (hæc ſunt verba Synodi). quibus verbis eidem, niſi ab hæreſi diſcederet, apertè ſupplicium minabatur. Ergo Conſtantiam profectus, primum quidem hæreſes *b* deteſtatus, fidemque catholicam confeſſus eſt, ſed paulo poſt ad priſtinos errores *c* reuerſus, eandemque Vuicleffi, & Ioannis Huſz doctrinam a Synodo iam damnatam (vna tantum re excepta) defendere auſus, ſtatim ſuæ temeritatis, & audaciæ pænas iuſtas, debitaſque perſoluit. Hæc acta ſunt in Hæreticorum cauſa, quæ vt non eodem tempore ſint omnia geſta, tamen cum eiuſdem ſint generis, conſimul ea coniungere conſentaneum viſum eſt.

a *Seſſ.* 6.

b *Seſſ.* 9.

c *Seſſ.* 21.

Reſtat iam, vt aliæ Synodi res geſtæ in medium breuiter primo afferantur. Poſt ſententiam contra Ioannem XXIII. latam, omnia magna ex parte feliciter euenere. Gregorius enim vir bonus & pius, paucis poſt diebus, cum Eccleſiæ ſtatum videret, religione obſtrictus, Ioannem Dominicum Cardinalem

Ragu-

Ragusinum, & Carolum Malateſtam virum Clariſſimum Conſtantiam miſit, nec ſolum auctoritatem ſuam interpoſuit, ac per hos legatos Synodum ſuo nomine comprobauit, verum etiam per eundem Carolum, cui hanc rem totam commiſit, magna omnium approbatione Pontificatum depoſuit. Accepit ex ea re Concilium magnam voluptatem, cum videret duas iam partes inter ſe coniunctas, tantumque reliquam eſſe tertiam Benedicti, eamque ſolam obſtare, quominus negotium grauiſſimum ad exitum perduceretur. Quod autem ſuſpicarentur Patres ex his, quæ viderant Benedictum non facile ceſſurum, omnes neruos in eo contenderunt, vt pertinacem eius animum expugnarent; quare cum ſumma eſſet eius temporis Sigiſmundi Imperatoris auctoritas, Synodus *a* ipſum magnopere rogauit, vt Eccleſiæ ſuſciperet patrocinium, & ipſemet cum legatis Concilij Benedictum adiret, & ad officium cohortaretur, quod ſi eum adducere minus poſſet Ferdinandum certè Aragoniæ Regem, qui præter ceteros Benedicto fauebat, & alios, qui eundem vti verum Pontificem venerabantur, ab ipſo.

a *Seſſ.* 16. & 17.

Be-

Benedicto auertere, & ad delendam inſignem illam maculam, & ad Eccleſiam vno omnium conſenſu in antiquum ſtatum reſtituendam conaretur impellere. Suſceperat iam antea Sigiſmundus negotium, egeratque per litteras cum ipſo Ferdinando Aragoniæ Rege, vt Nicæam Prouinciæ Vrbem ambo conuenirent, ad eandemque Gregorius, & Benedictus accederent, tum verò, & ſi Gregorius planè iam ſuo officio ſatisfecerat, vnaque tantum Benedicti pars Synodo repugnabat, non ſolum Sigiſmundus iter aggreſſus eſt, verum etiam cum Ferdinandus graui, ac diuturno morbo laborans, nullo modo ad Nicæam venire poſſet; Imperator clariſſimus, cui Eccleſiæ dignitas cara in primis erat, purpura, & Maieſtate Imperatoria indignum non putauit in Hiſpaniam ſe conferre, ac Regem auctoritate, & potentia inferiorem, cum tam longè abeſſet, quoniam ita Eccleſiæ expediebat, intra Aragoniæ fines conuenire. Erat Ferdinandus eo tempore Perpiniani, quod Oppidum, vt ſit in Regno Aragoniæ, ditione tamen citra montes Pyrenæos, in Gallia Narbonenſis ſitum eſt. Ibi Sigiſmundus vnà cum ſex Concilij

lij Legatis, quorum princeps erat Iacobus Turonēſis Archiepiſcopus, magnificè, ac regio apparatu acceptus, ſtatim cum Rege Ferdinando de negotio egit; deinde cum Benedicto, qui eiuſdem Ferdinandi opera Perpinianum venerat, atque inibi tùm diù diuerſabatur. Obſecrarunt eum Reges, & legati, vt Eccleſiæ aliquando conſuleret, & quoniam nihil præterq́; ipſius voluntatem deteſtabili peſti depellendæ tunc obſtabat, daret ipſe quoque manus, tribueretque hoc ſummum Eccleſię beneficium, eiuſque vtilitatem, vt virum Chriſtianum decet, nomini, & inſignibus Pontificijs anteferret. Reſtitit vſquequaque Benedictus, nulliſque vnquam precibus moueri potuit, atque adeo cum cauſam ſuam defendendam ſuſcepiſſet, ſeptem horas in tuendo ſuo Iure, & explicando conſumpſit. Tantum attulit faſtidium omnibus, præſertim verò Ferdinando ſumma illa duri hominis pertinacia; vt Benedictus pertimuerit, ne ſibi fortè aliqua vis aſſerretur. Quapropter noctu clam ad Colliberis portum in quo duas ipſe triremes promptas habebat celeriter profugit, ac ſtatim portu ſoluens, Peniſcolam nauigauit. Eſt Peniſcola Oppidum Hiſ-

Hiſpaniæ citerioris apud Hergaones non longè ab Vrbe Bertoſa, quod oppidum fermè vndique mare alluitur. Ibi Benedictus Arcem habebat loci natura, militum præſidio, omnique rerum generè munitiſſimam, in ea incluſus deinceps vitam egit, nihilque amplius de abdicatione; aut de Synodo audire voluit; & quamuis ab omnibus, & prouincijs deſertus, ad extremum tamen vſque ſpiritum retinuit Pontificatus inſignia. Interea Ferdinandus Rex ſingulari Benedicti contumacia commotus ab eo diſcedere decreuit, reque cum alijs Regibus, & Principibus, qui Benedicti partes ſequebantur, quamprimum communicata, propè omnes Ferdinandi conſilium ſummo conſenſu comprobarunt; omniumque nomine miſſi ſunt legati Narbonem, vbi Sygiſmundus negotij exitum expectabat. Cum igitur Narbonæ concordiæ conditiones eſſent a Regum Legatis propoſitæ, eas continuò Sigiſmundus, & Epiſcopi, qui cum eo venerant, acceperunt: Synoduſque ipſa Conſtantienſis, ad quam delatæ ſunt, eaſdem ſine vlla cunctatione approbauit, *a* & quia longum eſſet omnia huius concordiæ capita commemorare, ſatis erit proferre præcipua.

a *Seſſ.* 20. & 22.

cipua. Illud igitur primum inter Regum Legatos, & Synodum conuenit, vt omnia decreta, quæ à ceteris Pontificibus, atque a Synodo Piſana prius, poſtea vero a Conſtantienſi contra eos, qui Benedictum tanquam verum Pontificem coluerunt ſunt conſtituta, reſcinderentur, & irrita eſſent. Deinde vt ea, quæ Benedictus, vt Pontifex ſuis conceſſiſſet, a Synodo confirmarentur. Præterea vt Cardinales Benedicti, ſi ad Synodum venirent, in numero Cardinalium eſſent, idemque honor eis haberetur, qui veris Cardinalibus haberi ſolet. Item vt miniſtris Benedicti, qui ab ipſo deficerent, honeſta aliqua ratione Synodus prouideret. His rebus ita conſtitutis, legati Alphonſi Regis Aragoniæ, qui in locum Patris Ferdinandi, nuper demortui, ſucceſſerat, ac deinceps aliorum Regum Conſtantiam venerunt, at tùm ipſi, tùm multi Epiſcopi, & Abbates hiſpani, alijque viri ſumma auctoritate præditi, ſe (vt in pactis cautum erat) cum Synodo coniunxerunt. Erat iam tùm Concilium Conſtantienſe Generale, cum trium partium, in quas Eccleſia fuerat antea diſtracta, concurſus factus eſſet; videbaturque iam ſchiſma magna

ex parte ſublatum; Sed ne vllus ſcrupulus amplius reſideret, antequam Pontifex verus, ac certus deſignaretur, voluerunt Patres de negotio Benedicti cognoſcere, eiq; niſi ſe ipſe prius abdicaret, cauſa cognita, Pontificatum abrogare. Fuit itaque Benedictus in Ius vocatus; *a* ſed contempſit ipſe tùm Synodum, tùm eius edictum, neque vnquam adduci potuit vt adeſſet, aut quidquam reſponderet. Quare Synodus hominis inſolentiam grauiter ferens, ſeruata omni ex parte Iudiciorum forma, in Benedictum animaduertit, ſententiaque lata ipſum de varijs criminibus damnauit, atque anathematis pœna prius mulctatum, omnino de Pontificatu deiecit. Poſt hanc ſententiam communi omnium conſenſu confirmatam, cum nihil iam prohibere videretur, quo minus Pontifex Eccleſiæ præfici poſſet, ſtatim Patres *b* ſe ad eius electionem compararunt, & ad eos Cardinales, qui tum Conſtantiæ aderant alios XXX. viros probos, & eruditos adiunxerunt, quos ſuffragij Ius in ea tantùm electione habere voluerunt. Ingreſſi ſunt hi in Conclaue ſexto idus Nouembris, & ſexto poſt die Pontifex renunciatus eſt Otho Columna patria Romanus ex illuſtri

a *Seſſ.* 23. 24. 29. & *ſeqq.*

b *Seſſ.* 40. & 41.

Columnenſium familia natus, vir prudentia, & pietate inſignis; qui quod in ferijs S. Martini eſſet electus ab eo voluit nomen accipere, atque ita Martinus quintus eſt appellatus. Ceperunt Patres omnes mirificam ex ea re lætitiam, tùm quia ſublato ſchiſmate Pontifex certus iam erat electus, tùm quia Martinus præter ceteros illo munere digniſſimus videretur. Manſit Pontifex Conſtantiæ amplius quinque menſes; quo toto tempore, quamquam Generale Concilium ſine dubio, & maximæ auctoritatis fuit, cum Martinus Pontif. Max. illi præeſſet, non tamen multa extant ipſius Concilij decreta. Tandem anno 1418. cum iam Patres, qui ab initio venerant quatuor annos, & ſex menſes Conſtantiæ traduxiſſent, reſque ipſa poſtulare videretur, vt abſoluto negotio, cuius cauſa venerant, & conſtituto gregis vniuerſi Paſtore, ad ſuas ipſi quoque oues paſcendas redirent, decimo Kal. Maij Concilium Pontificis iuſſu, maximaque Patrum omnium cõſenſione eſt ad exitum perductum. Cuius Concilij decreta, quæ ad fidem declarandam pertinent, hæreſeſque damnandas ſua auctoritate Martinus Pontifex confirmauit.

a Seſſ. vlt. a Verumtamen, quia multa reſtabant adhuc, præcipuè de Chriſtianorum moribus corrigendis, ea omnia in proximam Synodum reſſeruata ſunt, quam iam tum Martinus indixit, *b Seſſ. 44.* b & poſt ſeptem annos Ticini congregari iuſſit. Synodo abſoluta Martinus in Italiam venit, Florentiæque aliquando conuerſatus, tandem Romam ſe recepit, vbi reliquam vitam egit; ac de Concilio quidem Conſtantienſi hactenus.

Quoniam autem huius exitioſi ſchiſmatis, quod in ea Synodo fuit oppreſſum, adhuc ſuperfuerunt ſcintillæ nonnullæ, quæ magno labore ſunt extinctæ; reliquum eſt, vt de his mentio breuiter fiat. Ac primum *c Platin. in Ioann. 23. & Mart. V.* quidem illud liquet, Gregorium, & Ioannem XXIII. vel potius Angelum Corrarium, & Balthaſſarem Coſſam nullum poſtea Eccleſiæ exhibuiſſe; Angelus enim antequam Concilium abſolueretur ex vita diſceſſit. Balthaſar verò cum in carcere ſeruaretur, tandem cuſtodibus pecunia corruptis euaſit, Florentiam venit, ſeque ad Martini pedes ſupplex abiecit; a quo beniguè acceptus, & in Cardinalium collegio cooptatus, paulo poſt in eadem Vrbe morbo conſumptus eſt, & magna

funeris

funeris pompa inibi in Sancti Ioannis templo ſepultus; At vero Benedictus XIII. fuit Petrus Luna, ſeptem annos poſt Synodum Conſtantienſem vixit, neque vnquam Pontificis nomen depoſuit; Immò verò cum eodem tempore Alphonſus Aragoniæ Rex bellum grauiſſimum in Italia cum Ludouico Andegauenſi gereret, ac Martinus in partes Ludouici propendere videretur; iratus Pontifici Alphonſus, dedit operam vt Cardinales duo, qui reliqui erant poſt obitum Benedicti, Pontificem alterum deſignarent. Elegerunt ipſi Ægidium Munionem Canonicum Barcinonenſem, cui Clementi octauo nomen fuit. Idem Cardinales creauit, & alia obijt munera Pontificia. Sed poſtea cum idem Alphonſus in gratiam cum Martino redijſſet, facili negotio ſchiſma eſt omninò ſublatum. Nam Alphonſus Borgia vir optimus, & prudentiſſimus, qui paucis poſt annis factus eſt Pontifex Maximus, tunc ad hoc negotium delectus, egit cum hoc Clemente, ac deinde Petrus Cardinalis Fuxenſis; tantumque vterque apud eum ſua opera, & auctoritate potuit, vt Clemens ſponte ſe Pontificatu abdicarit. Coniecti ſunt in vinculis illi duo Cardinales, qui

eum delegerant, quia nunquam errorem deponere, neque Martino vero Pontifici obtemperare voluerunt; Atque ita demum ſchiſmatis incendio omni exparte reſtincto, & Martinus vnus clauum ſecurus Eccleſiæ tenuit, & ipſa ſummam tranquillitatem, & pacem opptatiſſimam conſecuta. Finis.

ADNOTATIONES.

Simō Stranolſius in vita. Io. XXIII.

SIgiſmundus Imperator, cuius labore, cura, opera pernicioſiſſimum in Eccleſia Dei ſchiſma extinctum eſt, Miſſam primam celebrante Papa Ioanne XXI. qui dictus eſt XXIII. die Natiuitatis Domini, Diaconi habitum indutus alta voce legit Euangelium *Exijt Edictum à Cæſare Auguſto vt deſcriberetur vniuerſus Orbis*; quod pariter Romæ anno 1468. ſedente Paulo II. Pontifice fecit Fridericus tertius Imperator, Teſtē Caſtaldo a tractatu de Imperatore.

a Quæſt. 29. n. 4.

HI-

HISTORIA SANCTI CONC. FLORENTINI.

Generalis Decimi ſeptimi.

A Chriſto nato anno M.CDXXXVIII.

IGnatij Conſtantinopolitani Patriarchæ Sedem cum Photius per vim, ac fraudem inuaſiſſet, a Nicolao primo Summo Pontifice non modo eſt iure optimo eiectus, verum etiam à cætu fidelium, & communione repulſus. Is vero tantam ignominiam non ferens, & ambitionis ſtimulis agitatus in ipſum Nicolaum *a* impietatis ſuæ virus euomuit: quin etiam litteris contumeliarum plenis *b* in Romanam Eccleſiam, eiuſque ritus inſolenter inuehi cæpit; Miſſæ enim ſacrificium in Azymo perficiendum pernegare, Sabbati ieiunium, aliaq; multa Sanctorum Patrum inſtituta reijcere, Romani Pontificis primatum oppugnare; Sancti Spiritus à Patre,

Sub Eugenio Pp. IV. Io. Palæol. Imper.

a *Nicol. I. Epiſt. 70.*

b *Phot. in Epiſt. Encyclia ad Patriarc. Orient. & alijs opuſc. manuſcr.*

Patre, Filioque proceſſionem impiè confutare, atque adeo latinos omnes Epheſini Concilij anathemate ictos affirmare, quod eam particulam (*Filioque*) addere Symbolo non dubitaſſent, & quamuis Photius poſt Nicolai obitum ſemel, atque iterum in exilium ſit *a* eiectus, vbi debitas tandem pœnas ſuæ temeritatis dedit, poſteriores tamen Græci, qui multo poſt à Romana Eccleſia deſciuerunt, eoſdem errores Photij ſunt ſequuti, in quibus cum ſit ille de ſpiritus Sancti proceſſione præcipuus; qua de re ſemper eſt inter latinos, & græcos diu, multumque diſceptatum, non alienum hoc loco videri debet, huius erroris originem, & auctorem breuiter indicare. Neſtorius enim primum Spiritum Sanctum a Filio non procedere affirmauit, idemque *b* Theodoretus aſſeruit, qui cum aduerſus ſanctum Cyrillum ſcriberet, Neſtorij ſuſceperat patrocinium. Verum cum eo tempore de Chriſti Domini incarnatione ageretur, & obiter illud de Spiritu Sancto dictum eſſet, nulla de ea re accurata diſcuſſio facta eſt, nec vllum tum fuit, qui eiuſmodi ſit ſequutus errorem. Verum tamen *c* Leone tertio Summo Pontifice, & Carolo Magno Imperatore,

a Stylian. in Epiſt. ad Stef. Pp. qua extat part. 2. Concil. 8.

b Theod. cõtra anathem. 9. S. Cyrilli.

c Ado. in Chron. ad finem.

ratore, Ioannes quidam Monachus Hieroſolymitanus eamdem iterum hæreſim excitauit, quæ eſt in Concilio Aſquigrani hanc ob cauſam coacto, damnata; quin etiam in Symbolo ad maiorem Catholicæ Fidei explicationem, verba illa (*Filioque*) ſunt addita. Hunc igitur vt diximus, errorem amplexus eſt Photius, & qui poſt eum extitere ſchiſmatici Græci. Imperante enim in Græcia Conſtantino Monomacho *a* Michael Patriarcha Conſtantinopolitanus, ac Leo Acridanus Epiſcopus, errores, quos diximus Photij conſectati veteris hüius Græcorum ſchiſmatis renouandi auctores fuere. Et Leo nonus vir Sanctiſſimus, qui per id temporis Catholicæ Eccleſiæ gubernacula regebat, legatis miſſis, ac litteris, eos ad Fidem Catholicam reuocare conatus eſt. Idem quoque curauit *b* Vrbanus ſecundus in Concilio Bari habito, in quo cum Græcis eſt de Spiritus Sancti proceſſione diſputatum; Vbi etiam Sanctus Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, omnem operam adhibuit, vt Græcos ad Catholicam Fidem diſputando perduceret: ij tamen in ſuis erroribus pertinaciter perſtiterunt.

a *Leo 9. Epiſt. 1. & 6. Hurbert. in lib. contra Græcos*

b *Edinerus lib. 2. Vit. S. Anſelmi apud Surium.*

Cæterum cum Balduuinus Flan-

driæ *a* comes Græcis Principibus pulſis Conſtantinopolitanum Imperium eſſet adeptus, Græcos magna ex parte ad Romanæ Eccleſiæ conſenſionem reduxit, ſed cum latinis Principibus, qui poſt Baldouinum rerum potiti ſunt, Conſtantinopolitanum Imperium Græci *b* eripuiſſent ad priſtinam conſuetudinem, moremque relapſi, à Romana iterum Eccleſia defecere. Poſtea Gregorij X. Summi Pontificis opera Michael Palæologus Conſtantinopolitanus Imperator in Lugdunenſi Concilio per *c* legatos tùm ipſe, tùm Græcorum Epiſcopi Romano Pontifici obedientiam detulerunt, & Catholicam profeſſi ſunt Fidem; ſed non ita multo poſt Græci iterum à Fide Catholica receſſere: quo tempore in magnas calamitates Conſtantinopolitani Principes inciderunt, Turcarum enim vi, ac tyrannide in maiores quotidiè anguſtias orientalis Imperij fines redigebantur.

d Tandem Eugenius quartus Summus Pontifex, qui magnopere Chriſtianorum pacem, & concordiam cupiebat, cum accepiſſet Ioannem Palæologum Græcorum Imperatorem, nec non Ioſephum Patriarcham Conſtantinopolitanum cum Romana

a *Choniata in hiſt. Io. Vill. l. 1. cap. 27. & alij.*

b *Niceph. Gregor. l. 4. hiſt. Ioann. Vill. lib. 6. cap. 72. & alij.*

c *Extatãt Epiſt Imp. & Epiſcop. in Concil. Lugdunẽſi ſub Gregor. X.*

d *Quæ ſequuntur excerpta sũt ex actis Concil. Florẽt. & ſcriptis Græcor. qui pro Conc. ſcripſerunt Platin. & alij.*

na Eccleſia iungi vehementer optare, eos ad rem perficiendam litteris, & legatis cohortatus eſt, atque vt hanc ob cauſam generale conuocaretur Concilium, ad quod tùm græci, tùm latini Epiſcopi accederent. Et quamquam Baſilienſis Concilij Patres, vt Baſileam Imperator proficiſceretur omnem operam dabant, maluit tamen ille Eugenij monitis parere, & relicto Baſilienſi Concilio, quod paulo ante Pontifex abrogauerat, Ferrariam, quò Synodum œcumenicam Eugenius indixerat, & ipſe Imperator, & Patriarcha, & Græcorum Epiſcopi cõuenere quamplurimi, qui omnes honorificentiſſimè excepti, & liberaliſſimè ab Eugenio tractati ſunt; affuerunt itidem Alexandriæ, Antiochiæ, & Hieroſolymitanę Eccleſię legati. Itaq; anno Domini 1437. Ferrariæ Concilio inchoato, præcipua capita, quibus Græci a Romana Eccleſia diſſidebant, in medium producta ſunt. *De proceſſione, ſcilicet, Spiritus Sancti; De additione, ſeu explicatione illa Symbolo facta, Filioque; De Azymo, & fermentato; De Purgatorio, ac fruitione Sanctorum; Denique de Primatu Romanæ Eccleſiæ*: de quibus ita in Concilio diſceptatum, vt ſeni ex Latinis, & Græcis

in medio Concilio conſiſterent, & eorum vnus ex vna parte proponeret, alter verò ex altera reſponderet. Aderat Interpres, qui cuncta ſiue græcè, ſiue latinè dicerentur, vtrique Parti explicaret. Aderant, & Notarij tùm latini, tùm græci, qui omnia, quæ dicebantur, græci græcè, latini latinè conſcriberent. Annum ipſum Ferrariæ huiuſmodi diſputationes perdurarunt; Verùm cum peſtilentia ciuitatem inuaſiſſet, Pontificis auctoritate, atque omnium conſenſu Concilium Florentiã tranſlatum eſt, vbi itidem per quatuor ferè menſes diſputatum, ac tandem poſt diuerſos tractatus, re diligentiſſimè diſcuſſa, tùm ex actis antiquorum Conciliorum, tùm ex dictis, & teſtimonijs Græcorum, & latinorum Sanctorum Patrum, Græci in latinorum ſententiam venerunt, & maxima cum Pontificis, Imperatoris, atque omnium Patrum lætitia, cum Romana Eccleſia coniuncti ſunt. Verum Ioſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus paulo ante Concilij finem obdormiuit in Domino, cum ante obitum in ſchedula ſcripſiſſet, ſe Romani Pontificis primatum, ac Romanæ Eccleſiæ fidem confiteri. Publica igitur ſeſſione in maiori Eccleſia Florentiæ habita,

omnium

omnium tum latinorum, tum græcorum conſenſu, nonis Iulij 1439. in Decreto græce, & latine edito definitum fuit. *Spiritum Sanctum ex Patre ac Filio æternaliter, tanquam ex vno principio, & vnica ſpiratione procedere; atque explicationem verborum illorum*, Filioque, *rationabiliter Symbolo fuiſſe adiectam; & ſiue in Azymo, ſiue in fermentato pane triticeo Corpus Chriſti confici poſſe. Purgatorij locum eſſe, in quo eorum animæ detinentur, qui pænitentes in Dei caritate deceſſerunt, nec dum dignis pænitentiæ fructibus pro ſuis peccatis ſatisfecerunt, eaſque fidelium ſuffragijs adiuuari; eorum autem animas, quæ vel nullas poſt baptiſmum contraxere maculas, vel contractæ maculę poſtea ſunt purgatę, in cælum mox recipi, & apertè ab ijs Deum conſpici. Poſtremò Romanum Pontificem verum Chriſti Vicarium, ac beati Petri ſucceſſorem totius Eccleſiæ caput eſſe.* His actis Armenorum Oratores Florentiam acceſſerunt, & ijſdem Catholicæ Eccleſiæ fidem profeſſis Eugenius Pontifex in eodem Generali Concilio litteras tradidit, in quibus orthodoxæ fidei veritas breuiter explicatur.

Hic fuit ſatis fælix Concilij exi-

Habentur hæ litteræ in fine ex Concilij.

exitus; verum quæ poſtea conſequta ſunt euentum habuere planè diuerſum. Nam vt ſcribit Nicolaus Papa quintus in litteris, quas ad Conſtantinum Imperatorem Ioannis Palæologi fratrem dedit, Ioannis ipſius, quo præſente celebratum eſt Concilium, nimirum erga res ciuiles ſtudium effecit, vt ad optatum finem vnitatis negotium non peruenerit. Huc acceſſere Marci Metropolitæ Epheſi contra ſanctam Synodum calumniæ, qui cum ſeſe vnus ex Græcorum omnium Epiſcoporum numero ſegregaſſet, & pertinaciter in opinione, quam ſemel imbiberat, perſtitiſſet, neque difinitioni Generalis Concilij ſubſcribere voluit, neque a confingendis varijs mendacijs, in Gratiam reuerſus abſtinuit; ſed ſcriptis varijs Epiſtolis Græcorum animos antiqua ſchiſmatis conſuetudine malè affectos, facilè ſollicitare potuit, quominus vnitatem amplecterentur: ad quas tamen omnes calumnias extant catholicorum eius temporis Græcorum reſponſiones, quæ in Codice Synodi apponuntur poſt Scolarij Orationes. Ita factum eſt, vt præter eos Patres Orientalis Eccleſiæ, qui Synodo interfuerunt, Græci nunquam hoc generale Concilium

rece-

receperint, quod octauum ab ipſis appellatur; & iuxta comminationem Nicolai Papę ad Euangelicam alludentis parabolam de infructuoſa ficulnea, triennio poſt litteras à Nicolao Papa datas, libertatem ſimul, & Imperium amiſerunt. Finis.

ADNOTATIONES.

IOannes Palęologus Imperator, qui huic Concilio interfuit, Conſtantinopoli Venetias appulit, vt Ferrariam cum Ioſepho Patriarcha peteret. Exceptus eſt Imperator omni humanitatis, & honoris officio a Sereniſs. Duce, & Excel. Senatu, ac deaurata Naui, Bucintauro, dicta ſolemni pompa ad ciuitatem peruenit die nona Februarij 1438. *Relatio in Actis Concilij.*

Ioſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus circa finem Concilij obijt Florētiæ die 9. Iunij Ind. II. Humatus eſt ſatis ampla funeris pōpa in templo Monaſterij fratrum ordinis Sancti Dominici, vbi etiam Papa habitabat; Exequias cohoneſtarunt Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, nec non Magiſtratus, & optimates Florentini.

HISTORIA SANCTI CONC. V. LATERANENSIS

Generalis Decimi Octaui.

A Chriſto nato anno M.D.XII.

Sub Iulio Papa II. Leone X. & Maximil. Imperat.

IVlius II. nuper electus iurauit ſe celebraturum Concilium generale pro reformatione Eccleſiæ, & pace inter Principes Chriſtianos comparanda. Requiſitus autem poſt vt prædictum iuramentum ſeruaret, & iuxta conſtitutionem Concilij Conſtantienſis expleto decennio à proximo Cōcilio celebrato nouum celebraret, ille tamen differebat; Tandem inſtantibus aliquibus Prælatis Eccleſiæ, & vrgentibus celebrationem Concilij, & Pontifice vel non valente, vel non volente Bernardinus de Carauaial Hiſpanus, & Federicus de Sancto Seuerino Eccleſiæ Romanæ Cardinales cum quibuſdam alijs Cardinalibus venerunt Piſas, deindè Mediolanum,

diolanum, & contra voluntatem, & authoritatem Rom. Pontificis vocauerunt Epiſcopos, & Chriſtianos Principes ad Generale Concilium in prædictis locis inductum. Contra hoc Conciliabulum indictum fuit illud Concilium a Papa Iulio ſecũdo, mox prorogatum ad annum ſupra milleſimum quingẽteſimum duodecimum, vt ſchiſmati occurreret, quo dictum Piſanum Conciliabulum inuexerat, prouideretque orbis Chriſtiani ſtatui tum temporis turbulentiſſimo propter bellorum incendia, quæ Iulius ipſe atrocis, & turbulentiſſimi ingenij vir inter omnes Chriſtianos Principes, & Reſpublicas indefeſſo ſtudio accenderat, dum Turcę hac accepta occaſione Chriſtianorum prouincias in mutuam perniciem, Iulio impulſore, armatas ſubiugabant. Sed mox ab inchoato Concilio moritur, & ad Dei Iudicium euocatur Iulius. Qui vero in eius locum ſuffectus eſt Leo X. Concilium proſequitur, in quo etiam initam cum Franciſco Francorum Rege conuentionem in locum eiuratæ ab eodẽ pragmaticæ ſanctionis ſubrogatam approbauit ſub nomine Concordati, quo vetera electionum Iura circa Epiſcopatus, & Abbatias antiquantur, & abrogantur, & Fran-

cis

cijs Regibus ad inſtar, quæ vocantur conſiſtorialia beneficia, nominatio indulgetur, cum alijs Iuribus, quæ regalia nuncupantur, & viciſſim annatarum Iura Fiſco Apoſtolico reſtituuntur.

Hoc vero minimè reticendum eſt Ludouicum nomine duodecimum Francorum Regem, aduerſus quem pacis Chriſtianorum impatientiſſimus Iulius ſimultates infenſas, implacabileſque exercuerat, poſt quam ipſius opera, & armis complures ciuitates, & arces munitas, necnon Bononiam inter præcipuas Italiæ ciuitates de Bentiuolis receperat; miſiſſe ad iſtam Lateranenſem Synodum, cui tum Leo Pontifex præſidebat tres Legatos, Fridericum a Sancto Seuerino Cardinalem tituli Sancti Angeli, Claudium Seiſſel electum Maſſiliæ Epiſcopum, & Ludouicum Forbin Dynaſtam Solerij, qui Regis nomine Piſano conuentui aduerſus Iulium collecto abrenunciarunt. Leoni vero, & Lateranenſi Concilio fidem, & obſequium pollicitii ſunt, vt refertur in huius Concilij ſeſſ.8.deinde Frãciſcus Rex Ludouici gener & Regni ſucceſſor ſimilem eidem Concilio, nec dum ſoluto præſtitit obſeruantiam.

Seſſ. 5. Omnium aſſenſione Patrum

t-um probata, receptaque fuit Iulij Papæ conſtitutio, declarans Romani Pontificis electionem, quæcumque per ſimoniam fiet, nullam prorſus, & inualidam fore, nul umque Ius, vel authoritatem electo collaturam. Cardinales vero ſic eligentes canonicæ depoſitionis, & irregularitatis, pœnas eo ipſo facto incurrere.

Seſſione octaua cœpit aliquod ſubnaſci diſſidium inter Concilium, & ſupremum Aquensē Senatum, cui tum præſidebat Geruaſius Bellomontius, Sacri namque Concilij procurator Marius Senatum vſſurpatæ Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis incuſauit apud Lateranenſes Patres, ſed prudentia, & religione Senatus ſimultas omnis, & diſſenſio extincta eſt.

Seſſione nona multa decernuntur circa ordinem, & diſciplinam. In his vt Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, (quos declarat Synodus ceteris omnibus Eccleſiæ dignitatibus poſt Summum Pontificem antecellere) famulitio, menſa, & ſupellectili non faſtum, ac pompam, ſed modeſtiam, & frugalitatem ſtudeant exhibere; deinde ita ſubiungitur; *Domus Cardinalium patens hoſpitium, portuſque, ac refugium proborum, maximè, & doctorum virorum & pauperum nobilium, honeſtarum*

neſtandumque perſonam eſſe debet. Similiter ordinauit olim Cartaginenſe Concilium quartum Can. XV. Vt Epiſcopi ſuppellectili paupere, menſaque, ac victu vili, & frugali vtantur, & poſtremo Trident. Concilium plenius hæc præſcribit Seſſ. XXV. Cap. I. in decreto de reformatione.

Prouidetur hac eadem Seſſ. IX. vt, quæ circa ſuppellectilis, & menſæ, Famulitijque modeſtiam præſcripſit Cardinalibus, locum etiam habeat in ædibus, famulitioque Summi Pontificis; *Quæ omnia*, inquit, *& ſingula in noſtri, & cuiuſcumq; Romani Pontificis, pro tempore exiſtentis familiaribus, ac etiam curialibus locum habere volumus; hoc vero tantum excepto, quod dicti noſtri, & Romanorum Pontificum familiares rubri coloris veſtimenta geſtare poſſint pro decentia, & conſuetudine dignitatis Pontificalis.*

Eadem Laterana Seſſ. IX. vt maior vigeat in ſacro Senatu votorum libertas prohibentur quæuis Votorum Conſiſtorij reuelationes, necnon quorumcumque ibi dictorum, aut factorum, quæ in odium cuiuſquam, aut præiudicium, aut ſcandalum verti poſſint, & infligitur latæ ſententiæ excommunicatio, a

qua

qua ſolus Papa ſoluere poſſit, illis, qui ſecretum Conſiſtorij à Papa iniunctum violauerint.

Statuitur præterea eadem Seſſ. IX. Vt quilibet habens beneficium cum cura, vel ſine cura, ſi intra ſex ab obtento beneficio menſes diuinum officium, ceſante omni legitimo impedimento, non dixerit, beneficij fructus non faciat ſuos pro rata omiſſionis, & temporis, ſed illos tamquam iniuſtè acceptos vel in fabricas beneficij, vel in pauperum eleemoſynas erogare teneatur; ſi vero in ea officij omiſſione poſt legitimam admonitionem perſeuerauerit ipſo priuetur beneficio, cum detur beneficium propter officium. Cui ſanctioni Lateranenſi altera adiungenda eſt Pij Papæ quinti ſtatuens in primis, Eum qui tempore priorum ſex menſium officium non recitauerit ab adepta beneficij poſſeſſione, tametſi oneri reſtituendi non ſit obnoxius, lætalis tamen culpæ reum factum quoties officium prętermiſit. Qui vero deinceps aliquo die vnam aliquam, aut omnes officij horas omiſerit, ſi omnes quidem horas, teneri omnes beneficij fructus huic diei reſpondentes reſtituere, partitis videlicet omnibus anni fructibus in totidẽ æquales partes

tes

tes, quot ſunt in anno, dies; Qui Matutinum ſolum omiſerit teneri ad dimidium fructuum eius diei reſtituendum, qui reliquas omnes partes ad alterum dimidium. Qui harum horarum vnā, teneri ſextam fructuū partem reſtituere; ¹ Addit inſuper, quod ſi Beneficiarius choro adictus, interfuerit choro, nec tamen recitauerit, quamuis ſtatuta loci, vel fundatio, vel conſuetudo id indulgeret, ſolumque requireret corporis præſentiam, declarat nihilo ſetius, eum qui præſens in choro non recitauerit, & mortalis delicti reum, & obligatione adſtrictum fructum, & diſtributiones reſtituendi. Decernit poſtremò quemcumque penſiones, aut alia Eccleſiaſtica emolumenta titulo clerici percipientem obligari ſimiliter ad recitandum B. M. Virginis officium, & ſi non recitet, obnoxium eſſe penſionis, ac eiuſmodi fructuum reſtitutioni.

Seſſ. X. declaratur montes pietatis inſtitutos vt poſſit miſerorū egeſtati per pecuniā illis mutuatā ſubueniri, hac tamen lege, vt mutuum ſumentes adſtringantur præter mutuatam ſortem aliud quid exſoluere pro huiuſmodi fundationum conſeruatione, ac neceſſarijs ad hoc impenſis, eſſe licitos, nec vllatenus vſurarios,

qua-

quatenus qui ſentit commodum debet ſentire, & onus neceſſarium illi commodo annexum, dum nullum intendatur de tali mutuo lucrum. Decernit autem excommunicationis latæ ſententiæ pænam in eos, qui aduerſus hanc declarationem prædicare, aut verbis, ſcriptiſque refragari auſi fuerint. Addit tamen ſatius fore, ſi cenſus aliqui aſſignentur ad hoc vt miniſtrorum huiuſmodi montium ſatisfiat impenſis, & ſic fiat vt pauperes ab his impenſis, vel in totum, vel in partem releuentur.

Seſſ. XI. notantur, & prohibentur multi defectus, in quos diuerſi Concionatores officij ſui immemores prolabuntur, & cum ipſis incumbat populum ædificare, virtutes inſerere, vitia euellere, Deumque, & non ſe ipſos prædicare, & Chriſti gloriam promouere, prædicant tamen in primis ad propriam oſtentationem; ſecũdo errores contra Sacrã doctrinam ferunt; tertio ſcripturas deprauant, & detorquent ad curuas interpretationes a ſanctis Patribus, & approbata Eccleſiæ intelligẽtia alienas, aut etiam eiſdem prorſus conrarias; quarto mala prope diem euentura vel cominiſcuntur, vel ab alijs accepta populo prænunciant ad vanos terrores excitandos, qui

mox

mox vertuntur in ſcandalum & deriſum, verbique dei contemptui. 4. Conficta miracula ennunciant. 5. in Sacros Pontifices, & Eccleſiarum Prælatos audaciter, & temere inueuntur. Hæc igitur omnia diſtrictè prohibet, & eos qui contrauenerint, aut qui non obtenta Prælatorum licentia ſe ingererent ad cõcionandum excommunicationis ſententia percellit, a qua ſolui non niſi a Summo Pontifice extra mortis articulum poterunt. S. Gregorius Nazianzenus aliam concionatoribus præfigit legem, vt in perſonas inuectiuis peræque, atque adulationibus abſtineant. Sic vero ſancit oratione 32. Legem ſtatuo cunctis animarum rectoribus, & verbi diuini concionatoribus, vt nec per duritiam homines exaſperent, neque per demiſſionem elatos, ac inſolentes efficiant, ſed prudenter, & conſultè verbum diſpenſent, nec in alterutrum iſtorum a mediocritate deuient.

Eademque Seſſ. XI. approbantur concordata cum Francorum Rege, vt poſſit ad Regni dignitates conſiſtoriales nominare prouidendos; atque vt graduati clerici reliquis omnibus in collationibus præbendarum præferantur, quæ certis, ac de-

deſignatis Menſibus vacauerint in eodem Regno. Ipſa vero pragmatica ſanctio prorſus abrogatur, cuius loco ſufficitur Concordatum. Damnantur etiam Baſilienſia decreta Romani Pontificis poteſtati aduerſantia.

Denique Seſſ. XII. Decernitur expeditio contra Turcas, pro qua decimæ ad triennium imponuntur fructibus Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Beneficiorum toto orbe conſiſtentium. Sed hanc expeditionem, qui ſubinde prodierunt luterani, non ſinuerunt proſperum exitum nanciſci.

Poſtremò cum gratiarum actionibus Concilium dirimitur. Finis.

ADNOTATIONES.

IVlius ſecundus Pontifex vir acris, & Militaris animi fuit libertatis Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimus, & Ducem Valentinum, quem Pius tertius cuſtodiæ mancipauerat ea conditione dimiſit vt Cæſenæ, & Fori Liuij Caſtra Eccleſiæ redderet, & alias ciuitates in libertatem vindicauit. Solitus dicere *Indignum eſſe Leuitas ſeruire, quos ceteris imperare oportere.*

Henricus octauus Angliæ Rex ſub id tempus ſcripſit librum doctiſſimum contra Lutherum, & manu propria ſubſcriptum miſit Leoni X. qui eum defenſorem Fidei appellauit, librumque in Vaticana Bibliotheca aſſeruandum repoſuit. Verum poſtea Henricus in Annæ Bolenæ, Pellicis amorem effuſus, cum impetrare nequiſſet à Clemente Pontifice, vt repudiata Catharina coniuge, Bolenam duceret, ab Apoſtolica obedientia defecit, & Lutheri ſectam, quam ſcriptis confutarat, magna ex parte vita complexus, vexare Catholicos cæpit rapinis, & cruciatibus.

HIS-

HISTORIA SANCTI CONC. TRIDENTINI

Generalis Decimi noni.

A Chriſto nato anno M. D. XLV.

DEcurrebat humanę Salutis Annus 1517. ſedente in Cathedra Pontificia Leone X. ex nobiliſſima apud Florentinos Mediceorum familia, Imperante Maximiliano Auſtriaco huius nominis Primo; Pontifex ſui regiminis initio non ſolùm ad bellicos Italiæ labores ſedandos, & arma in Turcas conuertenda direxerat animum, verùm etiam ad ædificium proſequendum Templi maximi apud Vaticanum. Sed bellis exhauſto Eccleſiaſtico ærario, ſub eius Prædeceſſore Iulio II. viſum Pontifici fuit pro more iam dudum in Eccleſia recepto, vti Eleemoſinis, quas ob indulgentias ex Pontificia largitate ſub Cruciatæ nomine Chriſti fideles erogare ſolent. Huius

Sub Pio IV. Pontif. Max. & Ferdin. Imperat.

rei cura Moguntino Archiepiſcopo in Germania delegatur, qui Ordinis Prædicatorum fratribus euulgandum Indulgentiarum Pondus commiſit. At munus hoc ex vetuſto in Saxonia more Eremitanis Sancti Auguſtini fratribus fuerat proprium; quare ipſi ſuo iure exturbatos ſe exiſtimantes, in diſſidia, & iurgia tranſierunt.

Erat ibi eo tempore non obſcuri nominis inter Auguſtinianos Magiſter Frater Martinus Lutherus; ipſe ſuorum indignationem ſecutus, maximè omnium aduerſus Pontificis gratias, & Indulgentiarum Concionatores anteſignanus eſt factus. Nam & Concionibus, & publicis Diſputationibus eorum Authoritatem, atque vtilitatem eſt conatus infringere. Tractatus ſunt ab eo hac de re Typis editi, & ex aduerſo, Dominicana præſertim familia, ſatis accuratè reſpondit. Semper tamen Lutheri, vt impius erat, & ad om-
1518. nes errores propenſus, in dies magis augebatur malitia, & de minoribus ad maiora abſurda, hæreſeſq; tranſibat. His Romam delatis Pontifex Lutherum in iudicium vocat: Cauſa committitur Thomæ de Vio Caietano S. R. E. Cardinali, ſummo Theologo ex Domicana familia, qui

apud Germanos in Auguſtano Conuentu Pontificis Legatus tunc aderat.

At Lutherus, qui Saxoniæ Ducis Patrocinio nitebatur, præuio Maximiliani Cæſaris Saluo Conductu ad Legatum tandem perrexit. Legati cum Luthero congreſſus inutilis fuit, cum nimis longè, ac toto cælo diſſentiret vterque. Quare Legatus Lutherum ad ſuos remittit, ſperans ex Collocutione iſta illum ad reſipiſcentiam tandem venturum. Hinc poſt aliquot tempus Io. Staupitij ſui Ordinis Vicarij Generalis mandato, Lutherus ad Legatum denuo mittitur, quem cum incorrigibilem cerneret, & petulanter loquentem audiret, nec benignis rationibus animi duritiem lenire poſſet, acriter eum reprehendit; ſed Lutherus ſtatim Legati aſpectum fugiens Auguſta diſceſſit. Sed inde non longè digreſſus, fictè excuſationis, & pœnitentiæ ad Legatum litteras miſit, procul dubio, ne læderetur in via.

Fluctuante igitur Indulgentiarum cauſa apud Germanos, quoniam Lutherus nec dum apertè à Pontificis authoritate ſe diſceſſiſſe ſimulabat, Pontif. pro ſedandis Cõtrouerſijs Decretum edidit, Indulgẽtiarum veritatem declarans. Decretum ad Caietanum mittitur, qui Pontificis reſ-

criptum Typis datum per Germaniam euulgauit. At Lutherus, qui vt par erat, Apoſtolicæ Sedis Decreto reſipiſcere debuiſſet, iratus quod Pontifex per publicam ſententiam eius placitis aduerſaretur, vt impiorum Schiſmaticorum eſt vſus, ad futurum Concilium appellauit, ſparſa per Germaniam Appellationis formula temeraria, & impudenti; ſed pro corruptorum temporum conditione apud multos gratiſſima.

Zvvinglius. Idem interim malum affecit Tigurium ciuitatẽ in Heluetia: vbi Vldricus Zvvinglius Canonicus ſe oppoſuit Sampſoni ex Franciſcana Familia, quæ ibi ex Pontificis Mandato eaſdem Indulgentias promulgauit. His auditis magis intumuit Lutheri temeritas, atq; inſolentia, & mox deſerto Pontifice contra Eccleſiæ Sacramenta, & alia id genus erupit: Scholaſticorum Theologorum, vt Sophiſticam aſpernando Doctrinam, & Sacram Scripturam præter Antiquorum Patrum, & Eccleſiæ ſenſum pro libidine interpretando.

1519. His in dies creſcentibus malis, & conclamantibus vndique præſertim ex Germania Eccleſiaſticis Viris, Leo Põtifex Congregatione inita ex Cardinalibus, & Epiſcopis, & ex Theologis, & Canoniſtis, omnibuſ-

que

que maturè conſideratis Lutheri errores damnauit, Bulla edita die. 15. Iunij. 1520. Quo audito Colonienſis, & Louanienſis Vniuerſitas, damnatos Lutheri libros in ignem coniecere. Sed Lutherus præterquam quod Bullæ huic repetitam ad Concilium appellationem oppoſuit: ipſam, & Pontificis Bullam, ſimulque Pontificiorum Decretorum libros Vitembergæ publicè viciſſim comburi iuſſit, ac ſiue timore alicuius ſibi imminentis mali, ſiue vt ſuas hæreſes Principum Authoritate firmaret, ſtrenuè ſuę nationis Principem Saxonię Ducem, ad ſuas partes trahere ſtuduit. Et iam creſcente mirum in modum inter Germanos, atque Heluetios hæreſi, tum primum de Concilio conuocando cogitatum fuit. 1520.

Anno Domini 1521. Vormatiæ in Conuentu coram Carolo V. Cæſare Lutherus ſe ſiſtit, & de ſua doctrina interrogatus præmeditata oratione Iudicium conatur eludere. Tandem requiſitus: an velit Doctrinam ſuam Generali Concilio ſubmittere? Reſp. affirmatiuè, ſed ſub conditione: vt ſcilicet Dogmata cõtrouerſa ex ſua Doctrina extrahantur, quæ ipſe Concilio ſubmitti velit, de quibus tamen nullatenus, ni- 1521.

ſi ex Sacra Scriptura feratur Sententia. Sed Cæſar Imperiali Edicto Lutherum, eiuſq; Sectatores proſcripſit. Audito interim Pontificis Decreto, Doctores Pariſienſes damnauerunt Lutheri Doctrinam, & Henricus VIII. Angliæ Rex librum edidit de Sacramentis aduersùs eundem. Hugo Conſtantienſis Epiſcopus, ſub cuius Eccleſiaſtica Iuriſdictione Tigurum ſitum eſt, egit per litteras cum illius Ciuitatis Senatu, vt in Zvvinglium animaduerteret. Sed is hæretica fraude vſus conclamabat: *Eccleſiam Reformatione indigere, & his ſimilia*, ac ſexaginta ſeptem Concluſiones publicè defendendas obtulit. Sed ex eadie in locis illis Religionis cauſa in peius ruere perrexit.

Adrianus. In his Anguſtijs Leo Pontifex moritur: Adrianus ſufficitur, qui ex Hiſpania vbi Caroli nomine erat, ſub finem menſis Auguſti Romam acceſſit. Pontifex integer animo, Lutheri, ac Sectatorum hæreſes, potius inter inſanias, & figmenta, quàm firmas mentis perſuaſiones referebat; Menſe Nouembri Franciſcum Chariganum Fabrianenſem Epiſcopum Norimbergam mittens, poſtulauit à Principibus ibi congregatis, vt Cæſaris Edictum contra Lutherum, ac Sectatores executioni mandetur,

qui & multa alia propoſuit pro Religione, & quiete in Germania. Reſponſum leuibus adductis rationibus *eos velle, ſed non poſſe punire Lutherum.* Protulerunt deinde cētum Grauamina: poſtulantes Concilium in partibus, in quo vt in cauſa communi omnibus tam Eccleſiaſticis, quàm Laicis ius eſſet dicendæ ſententiæ. 1523.

Interim Adrianus Pontifex moritur, eiuſque loco eligitur Clemens Pontif. VII. Iulius Medices anteà dictus; hic ſtatim Laurentium Campegium Cardinalem Legatum miſit ad alium Norimbergæ Conuentum. *Clemens VII.* 1524.

Rebus tandem compoſitis alius apud Spiram Conuentus inſtituitur; in eò magna lis, & contentio orta eſt inter Lutheranos, & Zvvinglianos de modo, quo exitit Chriſtus in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramēto. Hac de re poſt Conuentum, agente Landgrauio Haſſiæ conuenerunt apud Marpurgum Lutherus, & Zvvinglius; diſputatum eſt per dies tres; ſed quoniam æqualis eorum erat Superbia, fruſtra pro conciliatione laboratum eſt. Facta ſunt nihilominus in Conuentu Vormatienſi Decreta aliqua circa Religionem perfunctoria, & incertæ interpretationis; ſed ab Hæreticis non acceptata. Vnde ob proteſtationem ab ipſis editam 1529. *Proteſtantes.*

aduerſus Decreta illa, tunc primò Proteſtantium auditum eſt nomen.

Conuenerunt deindè Bononiæ Pōtifex, & Cæſar, vbi multa de Concilio ſunt collocuti. Conſideratum eſt primo de Concilij loco, & quidem ſatis euidens erat, ſi vt petebatur, Concilium vltra montes celebraretur, Catholicæ Fidei, ac Pontificiæ Auctoritati perniciosum id fore. Addebat præterea Pontifex, Concilium hoc, nec ſtulto & indocili vulgo profuturum, nec ipſis Hæreticis Principibus, qui Religionis prætextu rixis, & tumultibus fauent, vt contra Cæſarem, & eius Authoritatem inſurgant, atque augeant.

1530. Cæſar in Germaniam pergens, Auguſtæ Conuentum indicit. Illum ſecuti ſunt Cardinalis Campegius, & Petrus Paulus Vergerius Nuncius ad Ferdinandum Regem. Auguſtæ in Conuentu non amplius per ambages, & æquiuoca, ſed apertè & in Scriptis, de Religione actum eſt. Proteſtantes nouæ Doctrinæ Articulos Cæſari offerunt, (licet cum aliqua diſcrepantia inter Lutheranos, & Zvvinglianos:) aſſerebant ſe ad iſtam Confeſſionem proponendam Auguſtam veniſſe (vnde Auguſtanæ Confeſſionis nomen eſt ortum) quia

Confeſſio Auguſtana.

quia Cæſar eos de Religionis ſenſu percontatus iam fuerat.

Sed Cæſar, qui Concilium his malis remedium fore cenſebat, egit cum Galliæ Rege, vt ambo per Oratores Concilium à Pontif. peterent, in quo Proteſtantes adeſſe, eiúſque Decretis ſubeſſe deberent. Etenim armis eos cogere tempus non patiebatur, imminente in Pannonia cum Turcis grauiſſimo bello. Pontifex Concilij Celebrationi aſſentitur, duæ tamen difficultates impedimento erant. Primò enim Proteſtantes volebant, vt Concilium fieret in interiori aliquo Germaniæ loco, Pontifex verò in Italia; etenim in Germania futurum erat, vt vel omnia in clamores abirent, colluctantibus ſemper Hæreticis, vel eorum vi, ac fraude, in peius tranſirent. Secundò, Proteſtantes petebant, vt eorum Doctores, quamuis Laici poſſent deciſiuum Suffragium ferre in Concilio, ſicut & Epiſcopi, quod abſurdum erat, & contra Concilij formam. His igitur fruſtra tentatis, vrgente Turcico bello, Cæſar Pacem Proteſtantibus conceſſit, vſque ad futurum Concilium. 1532.

Expulſis Turcis, belloque feliciter acto, Pontifex denuo, & Cæſar Bononiæ conueniunt, vbi rebus diligenter examinatis, Hugo Rangonius Re- 1533.

gienſis Epiſcopus, Pontificis nomine, & alius Cæſaris Orator mittuntur ad Proteſtantes. Accidit hoc tempore Anglicanum Schiſma ob Henrici
1534. VIII. Angliæ Regis illegitimum Matrimonium initum, propria vxore repudiata. De Concilio ſub hoc Pontifice nil actum, poſt diuturnum enim morbum mortuus eſt.

Paulus III. Paulus III. ex Farneſia familia eius Succeſſor alacri animo Concilij cauſam amplexus eſt; ob id Vergerius, qui, vt diximus, apud Ferdinandum Nuncius erat, Romam vocatur: qui poſtquam de rerum Germanicarum ſtatu Pontificem docuit, denuo in Germaniam mittitur, vt & cum Catholicis, & cum Hæreticis ageret de Concilio celebrando. Proteſtantes Smalcaldiæ collecti, Vergerio reſpon-
1535. derunt: *Se quidem velle Concilium, ſed in Germania, in quo omnes Chriſtianorum Ordines adeſſent, & votum ferrent, etiam Laici. Se non appellauiſſe ad Concilium, in quo Romanus Pontifex ſuo nutu omnia regeret*, ipſe enim iam aduersùs eos ſententiam
1536. tulerat. Sed Vergerius poſtquam Germaniam peragrauit, ac muneri ſuo ſatisfecit, Romam reuertitur; quo audito Cæſar Neapoli Romam accedens, agit cum Pontifice de Celebratione Concilij, quod tandem Pon-

tifex

tifex Mantuæ futurum indicit.

Cæſar verò nuncio ad Proteſtantes miſſo, illos hortatus eſt, *vt ad Cōciliū accederent, ſeque ibi adſuturum promiſit, niſi bellis impediretur. Addit Mantuam Ciuitatem eſſe Romano Imperio ſubditam, ſi quid aduersùs Pontificem haberent, cum modeſtia proponi poſſe: eorum non eſſe Leges Concilio imponere*, cum in Hiſpania, Italia, Germania, aliiſque Chriſtiani Orbis partibus ſint Theologi, qui hac de re idem ſentiant. Reſpondent Proteſtantes: *Se Mantuæ tutos non eſſe*. Sed ad tollendas difficultates indies ab hæreticis oppoſitas, & pertinaciter tentas ſequenti anno Concilium tandem a Pontifice Vincentiæ indicitur; Apoſtolici Legati eò mittuntur. At nec ceſſantibus obiectis, Ferraria, Bononia, aut Trid tum Cōcilij ſedes proponitur a Pontifice; deinde vt Tridenti Concilium eſſet decreto firmat, & Legatos mittit. Verum Cæſare, & Galliæ Rege inter ſe diſſidentibus, decreta Concilij celebratio impeditur. Quare Pontifex pro componenda pace duos Cardinales mittit, Contarenum ad Cæſarem, & Sadoletum ad Galliæ Regem. Legati cum aliquibus Epiſcopis Tridentum accedunt; illuc & venerunt Cæſaris nomine Oratores,

1537.

1542.

Gra-

Granuellanus & qui apud Venetos Cæſareus erat Orator; Petunt hi Celebrationis initium, ſed Epiſcoporum paucitas impedimento eſt. Sed bellum inter Cæſarem & Galliæ Regem breui quieuit: fœdus initur, in quo de Concilio agitur. Pontifex lætus hoc fœdere, nouam conuocationis Bullam adornat, & litteras hac de re ad Principes mittit. Quapropter Cæſar per Epiſtolas de Concilio celebrando ſuos Subditos monet: iubens vt & Doctores Louanienſes Dogmata colligant in Concilio proponenda, ſicut & Galliæ Rex Pariſienſibus indixit. Pontifex nihil diligentiæ prętermittens, vt Chriſtiani Principes ad Concilium ſuos Oratores mittant, monuit Cæſarem, vt nihil amplius concederet Proteſtantibus, ſe aduerſùs eos, & ſpiritualia & temporalia arma collaturum.

Primi omnium à Pontifice mittuntur ad Concilium tres Cardinales Legati: Ioannes Maria à Monte Epiſcopus Prænestinus, Marcellus Ceruinus Presbyter, & Reginaldus Polus Diaconus: Viri animo, ingenio, fide, & modeſtia inſignes. Dubitans deinde Pontifex, ne in Conuentu Vormatiæ, aliquod Concilio præiudicium fiat, ſpecie Legationis, mittit ad Cæſarem Cardinalem Far-

ne-

neſium, qui prius Vormatia tranſiens, Catholicos ibi firmaret, deinde ad Cæſarem pergeret. Miſit & Groſſenſem Epiſcopum ad Ferdinandum Regem, vt eum ad Vormatiæ Conuentum ſequeretur; etenim abſente Cæſare Conuentus celebrandus fore dicebatur. Poſtea Pontifex ad Concilium ſe conuertens, de ſuorum Legatorum iure, & facultate cogitauit; miſerat enim eos tantùm cum Legationis Bulla, ſed de eorum facultate, & inſtructione ad aliud tempus rem diſtulerat. Fuit facultatis Bulla ſatis plenaria, & vniuerſalis: deinde per aliam dedit poteſtatem prorogandi, terminandi, & transferendi Concilium.

Acceſſerunt Cardinalis à Monte, & Cardinalis Ceruinus Tridentum die 13. Menſis Martij Anno Salutis 1545. à Cardinale Tridentino honorificè excepti. Primi verò omnium ex Epiſcopis adfuerunt Concilio, Thomas Campegius Feltrienſis, Thomas à S. Felice Cauenſis, & Cornelius Muſſus Bitontinus Epiſcopi. Acceſſit deinde Don Didacus Mendoza Cæſareus Orator, qui etiam apud Venetos eius nomine pari munere fungebatur, eumque ſecutus eſt Ferdinandi Regis Orator. Sed iam Menſe Martio expirante, tempore 1545.

ad

ad inchoationem præfixo, Legati quamuis Patres pauciſſimi numero erant, aliquid ex Pontif. expectabant.

Porrò mandatum à Pontifice Legati acceperunt, vt quandocunque audirent in Conuentu Vormatiæ de Religione agi ſtatim Concilium aperirent. Legati, quod cognoſcerent ex Vormatiæ Actis, ad id ſe non teneri, imò ex pauciſſimo Epiſcoporum numero impediri: verentes tamen, ne Ferdinandus pro Contributione aduersùs Turcas obtinenda, Proteſtantibus fauens, alium Conuentum, vbi de Religione ageretur, iam anteà promiſſum ſtatueret: excuſatione adhibita, quod ex Tridentinorum Patrum negligentia in Concilio aperiendo hoc euenerit: rem omnem cum ſuis circumſtantijs Pontificem docuerunt. Præterea Tridentinus Cardinalis & Epiſcopus, & Princeps illius Ciuitatis poſtulauit à Pontifice aliquem peditum numerum pro cuſtodienda Ciuitate, non ſatis tuta inter aduenarum, & præcipuè proteſtantium turbas, ſibique ad id ſumptus deeſſe cauſatus eſt.

Pontifex maturè rebus expenſis, reſpondit Concilium aperiendum ad diem Feſtum Sanctæ Crucis.

Augebatur interim Epiſcoporum numerus, & tamen omnia tabeſcebant

bant otio; & data eſt occaſio dubitandi. Nam Cæſareus Orator ad ſuum munus Venetias redierat: incertum an ſponte, an Cæſaris juſſu!

Tandem Pontifex, ne Concilium Tridenti nec apertum, nec clauſum inutiliter videretur: quia tamen dictis de cauſis Cæſari morem gerere cupiebat, miſſo ad eum Caſettano Epiſcopo poſtulauit, vt tandem ſuam patefaceret mentem: an aperiendum, an ipſum ſuſpendendum, an aliò transferendum Concilium eſſet? inſtante non ſemel Epiſcopo, reſpondit, *Concilium in menſe Octobris aperiendum, vt ibi non de Dogmatibus, ſed de Reformatione agatur*. Reſponſum hoc, licet multas ob cauſas diſpliceret Pontifici, ille tamen reſcripſit Cæſari, ſe Concilium aperiendum mandaturum, in quo Patres ſuo iure vterentur. His vniuerſalibus verbis eſt vſus Pontifex, vt ſi Patres in Concilio de rebus Fidei agerent, Cæſari indignanti reſponderet: Patres aliorum Cõciliorum vſum ſecutos, quem coarctare conſuetum non ſit. Die igitur 13. Octobris, in quo die Romæ Pontifex Iubilæum euulgauit, vt pro tam graui cauſa Deo preces funderentur, Tridenti Concilium apertum eſt, cuius apertionis ordo talis fuit.

Primò,

Primò, Tridenti omnes ieiunaue-runt, & Pœnitentiæ, & SS. Euchariſtię Sacramentis firmati diuinam pro Concilio miſericordiam implorauerunt. Facta eſt manè ſolemnis Proceſſio à Templo SS. Trinitatis ad Cathedralem Eccleſiam præcedentibus Clero, Theologis, Epiſcopis, &c. poſtea Legatis Apoſtolicis, omnibus recto ordine diſpoſitis, & proprijs inſignibus, atque Infulis ornatis: comitantibus præterea illos tum pietatis, tum honoris cauſa Ciuium, atque aduenarum numeroſa multitudine. Vbi ad Eccleſiam ventum eſt, Cardinalis à Monte Legatus, Miſſam celebrauit, & Epiſcopus Bitontinus Concionem habuit; lecta deinde eſt Legatorum admonitio, quæ in tomis Conciliorum habetur. Poſtea indictionis & deſignationis Legatorum, & tandem de aperiendo Concilio Bullæ ſunt etiam lectæ.

Qua lectione abſoluta Alphonſus Zirolla Cæſarei Oratoris abſentis Secretarius, Cæſaris litteras, quas ipſe Orator attulerat, & Legatis iam præſentatas, denuò induxit & inſtitit, vt Cæſari reſcribatur: Oratorem Dominum ſuum excuſãdo, quod ibi ob valetudinem adeſſe non poſſit. Reſponderunt Legati excuſationem accipiendo: litteras ipſas denuò inſpe-

ſpecturos, vt pro Cæſaris Maieſtate matura reſponſio fiat. Poſt hæc omnes genuflexi voce ſubmiſſa orant. Deinde Antiphonas, & Litanias Cardinale a Monte incipiente, & reliquis reſpondentibus, recitant. Diaconus poſtea legit Euangelium, *ſi peccauerit in te frater tuus, &c.* & dicto Hymno, *Veni Creator Spiritus*, omnibus proprijs in locis ſedentibus, Cardinalis à Monte Decretum proponit dicens: *Placet ne vobis, &c.* Reſpondent, *Placet*. Hercules Seruallus Concilij Procurator, iuſſit tabellionem id ponere in actis. Poſtremò cantatur, Te DEVM laudamus. His abſolutis Patres Epiſcoporum inſignibus depoſitis, priuata veſte, & præuia Cruce, Legatos ad ſua deduxerunt. Similis fuit ordo in alijs ſeſſionibus, ſolemni illa proceſſione excepta.

Matthei. Cap. 18.

Seſſio I.

Pontifex Nuncio accepto de Concilij inchoatione, & alijs, de quibus Legati Sedem Apoſtolicam conſulebant, Congregationem inſtituit ex Cardinalibus, alijſque doctiſſimis Viris, ex quorum conſultatione inpoſterum monuit Legatos de rebus agendis.

Die 5. Menſis Ianuarij in Congregatione Tridenti habita exempti ſunt à decimis Epiſcopi in Concilio 1546.

com-

commorantes, & hoc per Apoſtolicas litteras. Sed quia alij & alia petebant, omnia ad Pontificem ſunt delata. Conſultatum eſt de modo procedendi in Concilio, & expedire viſum eſt onera inter ſe diuidere, vt quiſque in Congregatione referat. Dubitatum eſt de inſcriptione apponenda in Decretis; nonnulli enim volebant, vt apponerentur illa, quæ habentur in Concilijs Conſtantienſi, & Baſileenſi, in quibus dicitur, Concilium vniuerſalem Eccleſiam repræſentare. Verùm huic ſententiæ quàm plurimi Patres cum Legatis ſe oppoſuerunt. Ioannes Salazar Hiſpanus Lancianenſis Epiſcopus, antiquiſſima Concilia imitanda eſſe dicebat, in quibus nuda Decreta apponuntur. Re autem diligenter conſiderata: quoniam Concilium hoc contra huius temporis Hæreticos erat, qui præcipuè Apoſtolicæ Sedis aduerſabantur authoritati, viſum eſt apponere in Decretis, *eiuſdem Apoſtolicæ Sedis Legatorum præſidentiam*, & hoc ad confundendam, & reprimendam Hæreticorum perfidiam. Quia verò in Decretis poſitum erat, vt rogaretur Deus *pro Pontifice, & pro Imperatore, & alijs Regibus, ac Principibus Chriſtianis*, Galliæ Pa-

tres

tres volebant, vt in particulari poneretur pro *Galliæ Rege*, ſed ad tollendam inuidiam, nihil vltrà eſt factum.

Die ſeptimo Ianuarij Seſſio celebrata eſt ſine Proceſſione, ſed tantùm Patres vulgari habitu, præuia Cruce deduxerunt Legatos de propria domo ad Eccleſiam, comitante eos, & Seſſionis locum tuente trecentorum armatorum cohorte: qui eorum præſidio, & cultu ex Tridentinis agris collecti fuerant. In Seſſione hac interfuerunt præter Legatos, & Cardinalem Tridentinum 28. Epiſcopi, tres Abbates Caſſinenſes, & quatuor Generales Ordinum. Inter hos celebris fuit Olaus Magnus Vpſalenſis Archiepiſcopus in Gothia. Sedit cum Oratoribus Procurator Cardinalis Auguſtenſis, & ſubinde in eodem ordine decem nobiles Cardinalis Tridentini. Adfuerunt viginti Theologi adſtantes. Miſſam cantauit Ioannes Fonſeca Caſtronouienſis Archiepiſcopus; Concionem habuit Coriolanus Martianus S. Marci Epiſcopus. Qua abſoluta Patres Pontificalibus ornati proſecuti ſunt reliqua, vt in prima Seſſione. Poſthæc celebrans aſcendens ſugeſtum, ſedentibus Epiſcopis legit Bullã de non admitten- *Seſſio 2.*

mitten-

& qua eſt circa hoc in *verbis Hæreticorum à Catholica veritate diuerſitas, antiquiſſima Synodi authoritate damnetur.*

Die igitur quarto Februarij celebrata eſt Seſſio 3. Miſſam cantauit Petrus Tagliouia Archiepiſcopus Panormitanus, concionem habuit Ambroſius Catherinus Ordinis Prædicatorum, Decretum legit Archiepiſcopus Turrianus. Ad verbum *Placet ne?* reſponſum eſt affirmatiuè. Hoc tempore Lutherus moritur, cum iam ad multos ſuæ nationis Principes pertranſiſſet Hæreſis. Poſt celebratam Seſſionem Legati acceſſerunt ad proponendum de Scripturis Canonicis, & circa hoc ex Lutheri ſcriptis quatuor eruerunt errores. I. aduersùs Traditiones. II. aduersùs aliquos libros ex veteri, & nouo Teſtamento. III. aduersùs Verſiones conſuetas in Eccleſia. IV. aduersùs Gloſſas.

Seſſio 3.

Lutheri mors.

Hæc omnia tradita ſunt Theologis perpendenda, quibus etiam commiſſum eſt, vt videant de abuſibus circa verba Sacræ Scripturæ. In quatuor ſequentibus Congregationibus, diſputatum eſt circa duos primos Articulos, & quidem circa I. Satis longa oratione dictum eſt pro Traditionibus, atque probatum eſt, *Chriſtianam Religionem partim ex Sacra*

Scriptura, partim ex Traditionibus pendere. Imò & ipſam Sacram Scripturam ex ſola Traditione haberi. Ita concluſum eſt omnium conſenſu. Circa II. dictum eſt, *illos libros, vt Canonicos accipiendos, qui ab alijs Concilijs recipiuntur, & quibus Romana Eccleſia vtitur.*

In alijs ſequentibus Seſſionibus diſputatum eſt circa III. & IV. & determinatum eſt, quod Eccleſiæ authoritas, & ratio ipſa docebat; adiuncta ſunt & alia de interpretatione, & abuſu Scripturæ: Acceſſit hoc tempore ad Concilium D.Franciſcus Toletus Cæſareus Orator, & D. Didaci Mendoza Collega. Euenit etiam Petri Pauli Vergerij Iuſtinopolitani Epiſcopi caſus, de quo illud dictum eſt. Hic ſuſpectus de Hæreſi, & ſuæ plebi inuiſus Concilium adijt, vbi non recipitur, niſi facta prius relatione ad Pontificem. Ipſe verò afferta ſpe quietis, & pacis cum plebe ſua, Venetias reuerſus eſt; ibi ab Apoſtolico Nuncio factus reus, vel indignatione, vel rerum conſcientia motus fugiens, Italiam ac Fidem Catholicam ſimul deſeruit.

Seſſio 4. Rebus igitur vt ſupra bene determinatis, die octauo Aprilis celebrata eſt Seſſio quarta, cantante Miſſam Archiepiſcopo Turriano in Sardinia,

&

& concionante Generali Ordinis Seruorum, a quo lectum eſt Decretum.

Celebrata ſeſſione, quoniam ad Dogmata tranſeundum erat, Pontifex monuit Legatos, vt in Concilio nihil ſtatuerent, quod eſt controuerſum inter Catholicos. Pro ſequenti Seſſione Hiſpani Patres inſtiterunt, vt ageretur de Reformatione, ſignanter quoad Concionatores, & Lectores: occaſione oblata, quod in præcedenti Seſſione actum ſit de his, quæ pertinent ad Sacram Scripturam. De hoc non ſemel ſcriptum eſt ad Pōtificem, à quo reſponſum eſt: vt vltra procederetur ad Dogmata, habito tamen reſpectu, vt ſimul de Reformatione ageretur; vt ſtatutum jam fuerat.

Legati interim pro rerum grauitate in varias Congregationes onera diuiſerunt. Pro Dogmatibus inſtituta eſt Congregatio pro Reformatione; adiuncti ſunt Canoniſtæ, qui omnes ſuas ſententias ferrent in ſcriptis. Hæc Congregatio fiebat coram Legatis, in qua tamen poterant accedere Epiſcopi, non quidem ad vota ferenda, ſed ad audiendum. Hæ ſententiæ traditæ in ſcriptis ad Epiſcoporum Congregationem tranſibant, qui Doctrinam reducentes ad capita, ad aliam Congregationem mittebant, in qua quidquid determinatum

N fue-

fuerat, in Seſſione euulgandum ſeruabatur. Pro tollendis abuſibus quoad Concionatores, & Lectores ſumma fuit difficultas, & diſputatio, præcipuè propter Priuilegia Regularium: *opponentibus Epiſcopis, quod per Priuilegia Regularium ſublatum illis fuerit ius, quod ſemper ab initio Eccleſiæ habuerunt*. Contrà verò Ordinum Generales aſſerebant, *creſcente Eccleſia creſcere etiam laborum pondus: vnde neceſſe fuerat, vt Regulares mitterentur in ſubſidium Epiſcopis, qui alijs curis intenti, concionandi, & legendi munus obire non poterant*. Scriptum eſt ad Pontificem, à quo reſponſum eſt, *vt cum vtriſque mitius ageretur*.

His abſolutis ad Dogmata ventum eſt, quamuis magna cum difficultate. Etenim denuo Hiſpaniæ Epiſcopi, duce Petro Paceto Gienenſi Epiſcopo, qui non multò antea Cardinalatus Inſulas acceperat, inſtiterunt, ſed fruſtrà, vt de Reformatione tantùm ageretur. Fuerunt igitur quidam Articuli de peccato originali Theologis ad perpendendum propoſiti, pro quorum reſolutione Theologi in varijs Congregationibus referentes ſtatuerunt, Adæ peccatum *ſimpliciter loquendo fuiſſe inobedientiam, quamuis in particulari deſcendentes,*

Peccatum Originale.

dentes, alij dixerunt Superbiam fuiſſe, alij Gulam, alij Infidelitatem; nam Mors, Concupiſcentia diuina indignatio, & ſimilia non ſunt peccata, ſed pœna peccati: Et ſatis circa hoc diſputatum eſt inter Thomiſtas, & Scotiſtas.

Controuerſum deinde eſt: quomodo Adæ peccatum transfuſum fuerit in poſteros, & tandem ſecundum Scholaſticorum ſententiam reſponſum eſt, fieri ex natura corrupta, ideſt ex carne, quæ etiam afficit animam, quæ eſt forma Corporis. Sicut vas malè olens afficit etiam liquorem, qui illi infunditur. Et quidem Theologi, licet in his explicandis viderentur diſcordes, attamen in damnandis Hæreticorum erroribus, concordes fuerunt, vt ex textu Concilij.

Die igitur 13. Menſis Iunij celebrata eſt Seſſio quinta, in qua Miſſam cantauit Hieronymus Piccolomineus, Placentinus Epiſcopus. Concionem habuit Frater Marinus Laureus Dominicanus; lecta ſunt Decreta de Dogmatibus, & de Reformatione, fruſtra ſe opponente Oratore Cæſareo. Antequam facta fuiſſet futuræ Seſsionis indictio, lectæ ſunt Regis Galliæ litteræ, qui ad Concilium Petrum Panetium ſuum Oratorem *Seſſio 5.*

mittebat. Hic eleganti oratione ſui Regis, atque Anteceſſorum obſequium erga Sedem Apoſtolicam teſtatus eſt. Cui per Herculem Sarrauallum Concilij Secretarium, fuit officiosè reſponſum. Cæſar interim videns, Proteſtantes nullo modo ad Concilium inclinatos, imò inſolita petendo eius authoritatem contemnere, miſſo ad Pontificem Cardinale Tridentino, egit de fœdere ineundo, & expeditione paranda aduersùs illos.

Sed Tridenti prima die poſt celebratam Seſſionem lectum eſt per Secretarium ſcriptum quoddam, in quo proponebatur, vt poſt determinationem de peccato originali conſequenter ageretur de diuina gratia, quæ medicina eſt aduersùs peccata. Epiſcopi, qui Cæſaris partes ſectabantur, dixerunt, *rem eſſe granem, nec tam citò determinandam; exſpectandum exitum legationis Cardinalis Tridentini ad Pontificem, interim de Reformatione agendum.* Cæteri verò inſtabant, *vt æqua lance ſicut decretum fuerat, ſimul de Dogmatibus, & de Reformatione ageretur.* Addentes, *Tridentini Cardinalis Legationem, nihil ad eos pertinere, quibus Eccleſiaſtica res, non principum arcana inueſtiganda*

pro-

proponebantur. Legati inter eos ferè medij, ſtatuerunt, *agendum quidem de Reformatione; interim tamen nihil obſtare, quin Dogmata quædam de Iuſtificatione, & Gratia, Theologis perpendenda tradantur*.

Pro Reformatione propoſitum fuit, de Epiſcoporum, aliorumque Curatorum reſidentia. Et quidem Cardinalis à Monte graui oratione Epiſcoporum reſidentiam commendauit, commemorans, *bona, quæ ex Epiſcopi Reſidentia oriuntur, & mala, quæ exius abſentia contingunt*. Eius Sententia probata fuit à multis per ordinem loquentibus, donec ventum eſt ad Iacobum Corteſium Vaſionenſem Epiſcopum. Hic ſatis libera oratione laudauit quidem Epiſcoporum Reſidentiam, vt vtilem, & neceſſariam, ſed queſtus eſt, *Reſidentiam hanc impediri exemptorum Priuilegijs, qui Epiſcopalia munia exercentes, & Epiſcopi authoritatem contemnentes, inducunt in tale diſcrimen Epiſcopos, vt ſatius illis videatur commiſſos ſibi greges exemptis relinquere, quàm cum eis ſectari contentiones, & lites. Ex eorum exemptorum in concionando libertate, Lutheri Hæreſes, aliorumque eſſe orta*. Concludit *Reſidentiam quidem reſtituendam, ſed cũ reſtitutione Epiſcopalis Dignitatis*.

Hanc ſententiam ſecuti ſunt omnes, qui poſteà locuti ſunt; quare Legati omnium conſenſu ſtatuerunt, *vt quiſquis excogitet, & liberè referat, quidquid pro commodiori Epiſcoporum Reſidentia faceret.*

Viſum poſtea eſt de Dogmatibus, & quidem circa hoc aliqui voluiſſent, vt ex his, quæ ad diuinam Gratiam ſpectant tantùm quædam vniuerſalia, & præcipua examinentur, & ſtatuantur: atque ex eorum determinatione reliqua etiam determinata intelligantur. Conſultius tamen viſum eſt, omnes Hæreticorum aſſertiones ſingillatim examinare, & iuxta propriam cuiuſque qualitatem ſententiam ferre. Fuerunt igitur viginti quinque Lutheri aſſertiones traditæ ad examinandum, & quadraginta quinque Theologis diſtributæ, inter quos anteſignani fuerunt Ambroſius Catherinus, & Dominicus Soto ambo ex Dominicana Familia, ſed ſatis inter ſe aduerſi.

Dum hæc Tridenti aguntur, Cæſar inito fœdere cum Pontifice aduersùs Saxonem, & Landgrauium arma conuertit, qui ex Proteſtantibus maximè omnium eius authoritatem ſpernebant. Cæſar verò timens, ne in tanto armorum tumultu Concilium diſſoluatur, per litteras, & per ſuum Orato-

Oratorem Pontificem docuit, *ſe pro Concilij ſecuritate ſumma diligentia curaturum*. Pontifex autem, vt Cæſari morem gereret, ſcripſit ad Legatos, ne ad Seſſionem celebrandam accederent, niſi poſt eius hac de re litteras, neque vnquam de Concilio diſſoluendo ageretur. His litteris acceptis Legati, quoniam iam ſatis de Iuſtificatione, & Gratia diſputatum fuerat, propoſuerunt Theologis interim examinandos Articulos ſex, *de Libero hominis* arbitrio, quibus poſteà additi ſunt alij octo *de Prædeſtinatione*.

De examinatis verò definitiones, ſeu Canones per Epiſcopos condebantur. Qua in re, vt Canones iſti clariores euaderent, ac ſimpliciori ſtylo formarentur, ex conſilio Iacobi Coccei Corcyrenſis Epiſcopi, prius poſita fuit Doctrina de rebus determinandis longa oratione explicata per varia capita, & deinde ex illa facti ſunt Canones ſub breui, & ſimplici forma; vt hoc modo Canones per propoſitam Doctrinam explicarentur, ſublatis limitationibus, aut clauſulis, quæ non ſine aliqua perturbatione pro illorum explicatione apponendæ eſſent. Qui ordo ſeruatus ferè in omnibus alijs Decretis de rebus Fidei. In his autem definitionibus conden-

dis ſatis enituit Cardinalis Cencini diligentia, ac pietas. Facta fuerunt præterea Decreta aliqua pro Epiſcoporum, ac Parochorum Reſidentia, & Epiſcoporum authoritate ſuper exemptos.

1547. Sed iam deuictis hoſtibus à Cæſare, & in deditionem acceptis, cum
Seſſio 6. omnia quieſcerent, Pontifex reſcripſit ad Legatos, vt de iam determinatis Seſſio celebraretur. Quare die quartò Ianuarij 1547. in Congregatione indicta eſt Seſſio ſexta ad diem 13. eiuſdem menſis; in ea Miſſam cantauit Archiepiſcopus Spalatrenſis, & Concionem habuit Thomas Stella Epiſcopus Salpienſis. Pro Seſſione futura propoſitum fuit agendum *de Sacramentis in genere*, atque etiam *de Baptiſmo*, *& Confirmatione*. Et quidem pro tollendis contentionibus inter Theologos, diſtributi ſunt per ſingulos eorum quidam Articuli in ſcriptis, vt in eodem folio eorum cenſuram apponerent. Articuli verò eruti ex Hæreticorum libris fuerunt *de Sacramentis in genere* 14. *de Baptiſmo* 17. *& de Confirmatione quatuor*. Pro Reformatione etiam viſum eſt de Epiſcoporum quiete, & commodiori Reſidentia.

Omnibus autem his ritè conſideratis,

ratis, atque perpenſis formata fuerunt Decreta, euulgata die 3. Martij in Seſſione, quæ fuit in Ordine ſeptima; in qua Miſſam cantauit Iacobus Coccæius Epiſcopus Corcyrenſis, & concionatus eſt Hieronymus Diui Marci Epiſcopus. Poſt hæc ex aëris intemperie, & peſtilentiali morbo viſum eſt Patribus Concilium transferre Bononiam; facta igitur Medicorum conſultatione, & omnibus ad id neceſſarijs, conditum eſt Decretum de Translatione, Lectum in Seſſione octaua die 13. Menſis Martij. Cui Decreto omnes reſponderunt, Placet, præter 17. Epiſcopos cum Cardinale Paceco. Quo facto Patres cum Legatis, præuia Cruce perrexerunt Bononiam, remanentibus Patribus illis cum Cardinali prædicto in Tridentina Vrbe ad nutum Cæſaris. Et licet per litteras à Legatis ad Concilium inuitarentur, Galeatio Floremonte Aquilano Epiſcopo excepto, Bononiam accedere, vel Tridento diſcedere noluerunt. Bononiæ per Concilium ob multorum Theologorum aſſenſum nihil determinatum, ſed tantùm de prorogatione Seſſiones aliquæ ſunt celebratæ.

Seſſio 7.

Seſſio 8.

Seſſio 9. & 10.

Sed Cæſar, qui fruſtra interim

laborabat, vt Proteſtantes Concilio ſe ſubmitterent, & incommodam ad ſua vota iudicabat hanc Concilij ad Bononiam translationem, Tridentinum Cardinalem ad Pontificem mittit, vt cum eo agat de reſtituendo Concilio apud Tridentum. Proteſtantes enim Cæſaris victoris arma timentes, tandem quamuis fictè, & ambiguè, ſe Concilio obtemperaturos dicebant. Pontifex Cardinali Tridentino reſpondit *de Reſtitutione hac in Conſiſtorio agendum cum Cardinalibus*. Quare poſt aliquot dies idem Cardinalis Tridentinus in Cōſiſtorio tria propoſuiſſe fertur, Primum, *de Concilio reſtituendo Tridentum*. Secundum, *vt Pontifex unum, vel plures Legatos cum plenitudine poteſtatis ad Cæſarem mittat, quo quies aliqua in Germania ſtatuatur vſque ad abſolutionem Concilij*. Tertium, *vt Pontifex quæſtionem determinet, an ſi caſus tulerit, vt manente Concilio vacaret Apoſtolica Sedes, ad Cardinales potius, an ad Concilium pertineret noui Pontificis electio?* hoc vltimum propoſuiſſe dicitur, vt Pontifex de ſua decrepita admoneretur ætate. Pontifex maturo Conſilio ſe reſponſurum dixit. Quare Cardinalis Tridentinus relicto apud Pontificem D. Didaco Mendoza, ipſe

ſe Auguſtam ad Cæſarem reuerſus eſt.

Sed Mendoza poſt aliquot dies in publico Conſiſtorio, in quo omnibus intereſſe licebat, Pontificem allocutus eſt idem petendo: addens, *ſi Pontifex in Concilio reſtituendo moram, aut excuſationem interponeret, ſe etiam proteſtationem interpoſiturum de illegitimo Concilio apud Bononiam.* Reſpondit Pontifex, *ſe prius velle à Patribus Bononiæ commorantibus reſponſum accipere, ac iura perpendere, & rem omnem cum alijs Regibus, & Principibus Chriſtianis communicare.*

Aderat ibi nouus Cardinalis ex Guiſiana Familia ſummæ nobilitatis apud Gallos, pro cuius Cardinalitijs infulis conferendis publicus ille Cardinalium Conuentus fuerat inſtitutus. Hic auditis Mendozæ verbis, Pontificiſque reſponſo (dubium eſt, an oblata, an meditata occaſione?) ſatis ingenuè atque audacter de ſui Regis Henrici (qui paulò antè mortuo Franciſco patre in Regno ſucceſſerat) animo, & integra in Pontificem fide locutus eſt, atque illi omnes eius vires pollicitus, vt Apoſtolica Sedes, cuius authoritatem eò tempore homines impij opprimere, & euertere nitebantur, in ſuo robore, & firmitate permaneat.

De omnibus his Pontifex monuit Cardinalem à Monte, indicens illi, vt habita cum Patribus conſultatione; reſpondeat quid ſentiat de reuertendo Tridentum. Cardinalis conuocatis Patribus rem omnem exponit, atque omnium conſenſu Concilij nomine reſponſum Pontifici eſt redditum: *ſe cum decore Tridentum redire non poſſe; eo quod nonnulli ex Epiſcopis ſpernentes eius de Tranſlatione Decretum, communi omnium ſcandalo remanſerint Tridenti, quaſi ipſi Concilium facere voluiſſent. Patres ergo illi prius Bononiam veniant, ac ſe Concilio congregent; & deinde agendum de repetendo Tridentum.* Addebatur præterea, *quod cum pro Germanis ſit Concilium hoc inſtitutum, par eſſe, vt gens iſta Concilij Decretis factis, & faciendis ſe ſubmittat: periculum fore, ne ſi Concilium hiſce de cauſis reuertatur Tridentum, contentioſum, & populare fiat, & iuxta proteſtantium voluntatem. Quare diligenter curandum, vt Concilium celebretur iuxta ordinem, & ritum obſeruatum ab Apoſtolorum temporibus, vſque ad hunc diem: vt Patres liberè conuenire, & diſcedere valeant, & iuxta ſuum placitum Concilium vel transferre, vel abſoluere poſſint.*

His

His litteris acceptis Pontifex, & re cum Cardinalibus communicata, Mendoza ad ſe vocato Concilij ſenſum aperuit; addens, hoc etiam reſpondere Cęſaris, & Ferdinandi petitionibus, ipſi enim reuerſionem hanc prò Nationum commoditate, atque Eccleſiæ libertate faciendam volunt. Mendoza his auditis, licet iratus, proteſtationem tamen, quam paratam habebat, non propoſuit, aliquibus Cardinalibus hortantibus, vt prius hac de re ſcribatur ad Cæſarem.

Cæſar his litteris acceptis Franciſcum Vargam, & Martinum Velaſcum Bononiam mittit, vt ſi qua via poſſet, Concilium Tridentum reduceretur: obtulerunt iſti Patribus ſuæ Legationis litteras, quarum inſcriptio erat, *Conuentui Patrum Bononiæ*. Poſt litteras traditas Vargas ipſe locutus eſt ad Patres. Verùm ſub ipſius ſermonis initio à Cardinale à Mōte Legato interpellatus eſt, dicente, quod licet litteræ illæ non ſpectent ad Patres, neq; enim hunc eſſe qualemcunq; Conuentū, ſed Concilium Generale: ſe tamen cōſentire, vt ſine præiudicio à Patribus Legati audiantur. Vargas proteſtatione in ſcriptis poſtulata blandis verbis Patres ad Cęſaris volūtatem pellicere eſt orſus. Verùm indignatus Cardinalis à Mōte eius denuò

in-

interrupit orationem dicens: *Adſum ego iſtius Sacroſancti Concilij Præſes, & Legatus Pauli Papæ Tertij, qui Succeſſor eſt Petri, & Chriſti Domini in terris Vicarius, ſimul cum his Sanctiſſimis Patribus: ad proſequendum pro DEI Gloria Concilium Bononiam translatum, ſimulque Cæſarem rogamus, vt conſilium ſuum mutet.*

Inde Vargas legit Cæſaris proteſtationem de nullitate Concilij, Velaſcus poſtulauit, vt illud proteſtationis ſcriptum poneretur in Concilij actis, ſed Cardinalis à Monte ex Patrum Conſenſu negauit, dicens *ſecularia ſcripta cum Eccleſiaſticis non eſſe ponenda, Cæſarem Eccleſiæ Filium, non Magiſtrum, aut Dominum eſſe.* His Romæ auditis, Mendoza Cæſaris Legatus, genuflexus ante Pontificem proteſtationem ſuam legit de nullitate translationis, & preſentes etiam Cardinales monuit.

In his anguſtijs Pontifex temporum calamitate coactus: pro repellenda iniuria, ad aliud Conſiſtorium vocatum Mendozam monuit de *inobedientia eorum, qui tales proteſtationes emittunt, ipſumque vltra Cæſaris voluntatem in proteſtatione dixiſſe;* memorans ea, *quæ ipſe pro Concilio, & Religionis ſtatu reſtituendo*

do feciſſet. Si quæſtio ſit de Translatione Concilij, an legitima fuerit? ſe ſtatuiſſe quatuor Cardinales iudices, qui cauſa cognita ſententiam ferant.

Hac de cauſa Pontifex ad Patres Bononiam ſcripſit, vt Romam ſuos Procuratores mitterent; miſit & litteras per modum Breuis ad Cardinalem Pacecum, & ad Patres, qui erant Tridenti, quibus ſuam voluntatem, & omnia, quæ ad id pertinebant ſignificauit. Ipſi vero re cum Cæſare communicata reſcripſerunt Pontifici ſuas excuſationes, addendo ſimul, & rogando, vt pro Religionis vtilitate, Patres ceteros, ſimul & Legatos remitteret Tridentum ad proſequendum Concilium. His litteris acceptis auditi fuerunt Bononienſium Patrum procuratores, ſed quia ſententiæ excuſatio aduerſus Patres, qui Tridenti morabantur, ob Cæſaris autoritatem fieri non poterat, cauſa indeciſa remanſit.

Incidit hoc tempore Cæſaris Decretum, quod, *Interim*, dicitur. Videns enim Cæſar Proteſtantes ſatis longo interuallo à Catholica veritate abijſſe, ita vt impoſſibile crederet de vno extremo ad aliud pertranſire: excogitauit hoc medium inter vtrũque, in quo ſiſterent vſque ad ſolutionem Concilij, quo tempore fortaſſe *Interim.*

bene:

bene diſpoſiti, tandem ad Catholicam veritatem redirent. Decretum hoc, ſiue *Interim* non ſolùm Pontifici, ac toti Eccleſiæ innumeris de cauſis diſplicuit, verum fuit etiam exoſum, atque inuiſum Proteſtantibus: neq; minus Catholici, quàm Hæretici ſimul aduersùs hoc *Interim* ſcripſerunt.

1549. *Iulius III.* Tandem Pontifex & ſenectute, & publicis & domeſticis curis afflictus occubuit. Eius loco ipſe Cardinalis à Monte vniuerſalis Eccleſiæ regimini præficitur, ac Iulius Tertius appellatur. Cæſar, qui eo tempore in inferiori Germania morabatur, vt ibi patrimoniales Prouincias in Catholica veritate firmandas curaret, Iulij Tertij aſſumptione audita Aloyſium de Auila ad gratulandum miſit, ſimulque petendum, vt Concilium reuocaret Tridentum: quod ille, & cum Cardinali Paceco, & alijs Cæſaris Miniſtris efficaciter egit. Pontifex pro rei grauitate aliquantulum immoratus, tandem magis magiſque Cæſaris nomine inſtantibus illis, Cõgregationem inſtituit ex Cardinalibus, alijſque Præſulibus, quibus rem omnem commiſit.

Congregatio hæc rebus per ordinem conſideratis, Pontifici reſpondit Tridentum Concilium reſtituendum, tum quia ita in Conclaui ante

Aſſum-

Aſſumptionem iuratum ab eo fuerat, tum etiam quia nec Bononiæ cum aliqua Eccleſiæ vtilitate celebrari poterat, Cæſare, aliiſque Germaniæ Eccleſiaſticis contradicentibus, nec ſine ſcandalo iam inchoatum omitti. His ita conſtitutis Pontifex miſit Epiſcopum Sipontinum ad Cæſarem, & Tolonenſem ad Galliæ Regem, vt ambos de Concilio Tridentum reuocando edocerent.

Sic inceptum eſt Concilium Calendis Maij, cum iam antea Legatus ac Nuntius perueniſſent Tridentum. *Seſſio* 11. Celebrata eſt igitur Seſſio in Ordine vndecima Archiepiſcopo Turriano celebrante Miſſam. Lecta eſt à Secretario Bulla reaſſumptionis Concilij; poſt hæc celebrans interrogauit Patres per verbum *Placet?* qui reſponderunt *Placet*. Interim Mauritius Saxoniæ Elector, & Chriſtophorus Virtenbergenſis Dux, vt Cæſari morem gererent, ſuos Pſeudoctores conuocant, ac monent vt ea colligant, quæ in Concilio proponenda eſſent. Scripſit Saxo ad Cæſarem, vt obtineret à Concilio Fidem publicam, ſeu Saluum conductum pro accedentium ſecuritate. Miſit Cæſar ad Concilium ſuos Oratores, Hugonem Comitem à Montfort, D. Franciſcum Toletum, & Guilielmum

Cam-

Campaniæ Archidiaconum; primùm pro Germania, ſecundùm pro Hiſpania, tertium pro alijs Regnis, & Principatibus.

Venerunt ad Concilium hinc inde varij Præſules, & quidem ex Germania, Tres Eccleſiaſtici Electores, & alij quinque inſignes Epiſcopi, ſed diuerſis temporibus. Cum verò in dies Patrum numerus augeretur, celebrata
Seſſio 12. eſt Seſſio in ordine duodecima die prima Septembris, in qua fuit Patrum conſeſſus hoc ordine diſpoſitus. Primo loco ſedebat Cardinalis Legatus, deinde Cardinalis Mauritius, poſt hos duo Nuntij, inde Electores Moguntinus, & Treuerenſis, nam Colonienſis nondū aduenerat; ſequebantur Cæſaris Oratores; deinde ſuo ordine Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, & alij. Celebrata Miſsa Secretarius legit hortationem ad Patres nomine Præſidentium. Poſthæc celebrans legit Decretum de prorogatione ſeſſionis.

Lectum inde eſt Cæſaris Mandatum pro ſuis Oratoribus: deinde aliud Ferdinandi Regis Mandatum pro Oratoribus ſuis Paulo Gregoriano Zagabrienſi, & Friderico Nauſea Viennenſi Epiſcopis: qui verba fecit ad Patres, cui Concilij nomine reſponſum eſt à Ioanne Baptiſta Caſtello Promotore.

Im-

Immediatè poſt Seſſionem traditi ſunt decem Hæreticorum Articuli, de Sanctiſſima Euchariſtia Theologis examinandi. Ipſi verò poſt debitum examen hoc ordine reſponderunt. Primò locuti ſunt Theologi miſſi à Pontifice, ſecundo loco, qui à Cæſare, tertio reliqui iuxta propriam cuiuſque dignitatem. Facta conſultatione ventum eſt ad Decreta formanda: qua in re Cæſaris Oratores rogauerunt Legatos, & Nuntios, ne in illis Decretis poneretur aliquid, quod pertineat ad Communionem ſub vtraq; ſpecie. Si enim talis definitio fieret, nulla remaneret ſpes, vt Proteſtantes accederent ad Concilium: ſimulque de Saluo Conductu concedendo egerunt.

Facta eſt Seſſio, in qua celebrauit Miſſam Epiſcopus Maioricenſis, concionatus eſt Archiepiſcopus Turrianus. Lecta ſunt Decreta de Dogmatibus, & de Reformatione; poſtea lectum eſt Mandatum Electoris Brandeburgenſis pro ſuis Oratoribus ad Concilium miſſis. Hi ſatis officioſis verbis locuti ſunt ad Patres, nihil aliud addendo pro Legato, & Nuntijs; erat enim de Auguſtana Confeſſione. Miſerat autem hos Oratores Elector iſte, ne impediretur inſtitutio eius Filij in Brandeburgenſi *Seſſio 13.*

Epiſco-

Epiſcopatu, ad quem à Canonicis electus iam fuerat. Dictum poſt abſolutam Seſſionem fuit, vt perpenderent Theologi, quæ pertinent ad Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis Sacramenta, de quibus nihil in particulari in Hiſtoria habetur. Interim Pontifex obnixè curabat, vt Heluetiæ Præſules ad Concilium properarent; ſed Vergerius, de quo ſupradictum eſt, illis in locis Proteſtantium Principum nomine Pontificis vota impediebat, quod & cum Griſonibus fecit.

Seſſio 14. Verùm rebus maturè determinatis celebrata eſt Seſſio in ordine 14. Sancta deinde Synodus agere intendens de SacroSancto Miſſæ Sacrificio rem doctiſſimis quibuſdam Viris commiſit, quibus Elector Colonienſis, & duo Epiſcopi Regis Ferdinandi Oratores, præerant. Sed in hoc licet multùm fuerit laboratum, nihil tamen concluſum ob Concilij ſuſpenſionem, quæ inde ſecuta eſt.

Acceſſerant ad Concilium ante celebratam Seſſionem Oratores Ducis Virtembergenſis, ſuam de Religione doctrinam proponere petentes, ſimulque vt alius Saluus conductus concederetur iuxta formam illius, quem Patres Baſileenſes conceſſerant Bohemis: quo obtento dicebant

bant ſuos Doctores, qui non longè aberant venturos ad prædictam doctrinam declarandam, atq; tuendam. Egerant de hoc cum Comite de Montfort Oratore Cæſareo, ſed quia ad Legatum Præſidem ſe conferre noluerunt, nihil actum eſt.

Venerunt poſtea Oratores Argentini, aliarumque Ciuitatum idem petentes, qui eadem de cauſa inauditi diſcedebant; ſed hortante Comite de Montfort exſpectauerunt Oratores Saxones, qui die ſeptima Ianuarij 1552. acceſſerunt Tridentum. Iſti 1552.
ſui Principis Mandato ſe veniſſe dixerunt pro Pace, & quiete Religionis: & à Cæſare humaniter accepti, Tridentinum Cardinalem allocuti ſunt, ſed Cardinalem Legatum adire noluerunt.

Sed quoniam inter Legatum, & Proteſtantes maxima erat diſtantia; ille enim neque alium ſaluum conductum concedere volebat, neq; illos audire, niſi prius eum, & Nũtios, vt Romani Pontificis nomine Præſides Cõcilij venerarentur, quod iſti facere recuſabant, imò & alia in oppoſitum petebant: Cæſareis Miniſtris pro rebus iuxta eorum vota obtinendis, artificio viſum eſt vti. Acceſſerunt ergo ad Legatum petentes obnixè, vt alius Saluus conductus concedatur,

iuxta

iuxta illum, qui in Baſileenſi Concilio conceſſus eſt Bohemis. Hoc autem quamuis ſumma cum difficultate tandem obtentum eſt, quo conceſſo poſtulauerunt, vt Proteſtantes in Concilio audirentur, ſicut & Brandenburgenſes iam obtinuerant. Et quoniam ipſi Legatum prius adire, illumque venerari nolebant, viſum eſt expediens, vt ipſi non in Seſſione, ſed in Generali Congregatione ad audientiam veniant. Cum enim Congregatio fieret in domo Legati, vtriſque hac ratione ſatisfieri videbatur.

Poſthæc petierunt Seſſionis dilationem circa Dogmatum definitionem vſque ad aduentum Miniſtrorum Proteſtantium. Quo audito, & cognita eorum fraude, Legatus magno animi motu ad omnia diſſentire parabat. Illi verò teſtati ſunt ſe nihil vltra poſtulaturos.

Concluſum eſt igitur, vt die 24. Ianuarij in Generali Congregatione Proteſtantes excipiantur, & ſequenti die fieret Seſſio, in qua fieret prorogationis Decretum, & Saluus conductus legeretur; & electi ſunt aliqui ex Patribus, à quibus, ſimul cum Nuncio Sipontino iſta componerentur. Breui peracta hæc ſunt, & Salui conductus formula Cæſaris Oratoribus

ribus tradita, quam ipſi Proteſtantibus oſtendentes eos de omnibus actis edocuerunt. Erat inter eos quidam Picta cognomine, qui fucato, atque audaci dicendi genere, ſeorſim à Cæſareis allocutus eſt ſuos, & Patrum benignitatem, atq; liberalitatẽ extollens, dixit. *Satis eſſe conceſſum: grato & prompto animo eorum beneficijs reſpondendum: pro nunc nihil vltra petendum, reliqua poſt ſuorum Doctorum aduentum agenda.*

Rebus ita indeterminatis die 24. Ianuarij Legatus breuibus, & grauibus verbis dixit ad Patres, *illa die agenda eſſe, quæ maximè ad vniuerſalem Eccleſiam ſpectant; ob id rogandum DEVM, vt ſuis fidelibus faueat.* Et inuocato Spiritus Sancti auxilio lecta eſt Proteſtatio. Deinde introducti ſunt Saxones, quorum vnus Patrum conſeſſum veneratus, dixit quæ in Mandatis habebat *de Saluo conductu iuxta Baſileeſium formam, de prorogatione Seſſionis, de examinandis denuò Dogmatibus iam determinatis; ne Pontifex in Concilio præſideat, immò potius ſe illi ſubmittat, & Epiſcopos iureiurando abſoluat.* His dictis rerum ſeriem, quam in ſcriptis habebat, obtulit Patribus, qua accepta per Secretarium reſponſum eſt à Pro-

mo-

motore, nomine Concilij: *Patres omnia inſpecturos, & ſuo tempore reſponſuros.*

Deinde introducti ſunt Virtembergenſes, & alij: iſti dixerunt, *ſe afferre ſuam Confeſſionem, ad eam explicandam, & probandam eorum Doctores venturos.* Addiderunt, *cum ſit diſſenſio inter ipſos, & Pontificem, & eius Sectatores, par eſſe, vt Concilium inſtituatur hoc modo: ſit ex vna parte Pontifex cum ſuis, & ex altera ipſi cum ſuis Doctoribus: eligantur Iudices; diſputetur hinc inde, & quidquid ſtatuatur per Iudices, fiat:* & obtulerunt ſuam Confeſſionem à Secretario acceptam.

Seſſio 15. Dimiſſis Proteſtantibus Patres ſtatuerunt, de prorogatione; quæſitum deinde eſt, *an aliquid addendum ſit in Saluo conductu?* & reſponſum eſt negatiuè. Sequenti die facta eſt Seſſio, in qua Catanenſis Epiſcopus Miſſam cantauit, & Archiepiſcopus Maioricenſis concionatus eſt. Lectum eſt Decretum prorogationis, & Saluus conductus. Cuius Exẽplaria Cæſaris Oratores tradiderunt Proteſtantibus, qui dixerunt, *eum ſe, vt non acceptum, recipere: ſed ad ſuos Principes mittendum eſſe.* Inſtabant tamen Oratores Cæſarei, vt propter aduentum Miniſtrorum

Virtem-

Virtembergenſium, Synodalium actionum initium fieret.

Sed Legatus graui morbo laborabat; Nuntij dubij erant, ſimul & Patres; præterquam, quod Germaniæ Epiſcopi vel diſceſſerant, vel diſceſſum parabant. Siquidem Saxo Auguſta tridui obſidione capta, Oenipontum contra Cæſarem tendebat. Ferebatur præterea milites circa Alpes diſpoſitos, ne ex Italia venirent auxilia. Quo Nuntio, allato, & Patres ipſi, & Proteſtantes promiſcuè fugam arripuerunt, pauciſſimis Patribus pro Concilio remanentibus cum Legato grauiſſimè laborante. Nuntij in tanto diſcrimine pro Seſſione habenda ad Calendas Maij, immorari ſe non poſſe cognoſcentes, de his admonuerunt Pontificem. Qui ſtatim ad ſuos miſit ſuſpenſionis Bullam; qua accepta Nuntij de hoc egerunt cum Cæſaris Oratoribus, ac præcipuis Hiſpaniæ Epiſcopis, qui dixerunt exſpectandum reſponſum à Cæſare; alijs tamen Patribus agentibus, pro ſuſpenſione facienda indicta eſt Seſſio ad diem 28. Aprilis, in qua definita eſt ſuſpenſio.

Suſpenſionis Decretum eſt ab omnibus approbatum, præterquam à 12. Hiſpaniæ Epiſcopis, qui etiam ex aduerſo Proteſtationem dederunt. *Seſſio 16.*

Ijs tamen non obſtantibus diſceſſerunt Patres cum ægroto Cardinale Legato, qui morbo, & curis confectus Veronæ mortuus eſt. Paulò poſt etiam Patres Hiſpani cum Cæſaris Oratoribus diſceſſerunt. Quæ à ſuſpenſione hac vſque ad aliam Concilij conuocationem factam à Pio IV. Pontifice Maximo circa Religionem in Germania euenerunt, & pauca feruntur, & quæ parum ad Concilium pertinent, quæ breuiter hic perſtringemus.

Suſpenſio. Conc.

1555. Auguſtæ Conuentus habetur pro Concordia Religionis, in quo Ferdinandus Cæſaris nomine, eleganti hac de re eſt vſus oratione, cuius exemplaria Typis data Romam vſque miſſa ſunt. Ob id Pontifex Cardinalem Moronum Legatum ſuum illuc miſit; ſed interim mortuo Pontifice, Cardinalis Romam reuertitur. Succeſſor eius Marcellus Ceruinus paucos dies vixit. Poſt quem Ioannes Baptiſta Carrafa nobilis Neapolitanus Theatinorum auctor, in Pontificem eligitur, qui Paulus IV. vocatus eſt.

Marcellus II. Pontif.

Paulus IV.

Auguſtæ in Conuentu nihil ſtatuitur niſi, vt quiſque in ſua Religione permaneat vſque ad futurum Concilium, & Religionis compoſitionem: cum aliquibus tamen circum-

ſtantijs

ſtantijs, & conditionibus pro temporum calamitate extortis, ſed Religioni noxijs. His de cauſis nouus Pōtifex, qui non niſi Romæ Concilium habendum dicebat, miſit Cardinalem nepotem ſuum ad Cæſarem, & Cardinalem Rabibam ad Galliæ Regem pro fœdere inter eos componendo: ſed iam Cæſar Sceptra faſtidiens, Regnis, atque Imperio ceſſerat. Vormatię habetur de Religione Colloquium: duodecim Catholicis, & 1556.
totidem Hæreticis diſputantibus, cuius Præſes erat aliquis Epiſcopus; ſed diſcordantibus inter ſe ſub initium Lutheranis, & Zvvinglianis, nihil conficitur, propoſuerat enim Epiſcopus, vt Hæretici prius inter ſe concordarent, & deinde cum Catholicis agerent.

In Anglia Maria Henrici filia Catholica, ex Catharinæ legitimo Matrimonio nata, & Eduardo fratri in regno ſuccedens, Philippo Hiſpaniæ Regi nupſerat; ſed ſine filijs mortua eſt, ſuccedente Eliſabetha ſorore ex illegitimis nuptijs orta. Quare in ea Regione Catholica Fides iacturam denuò patitur; ſicut & in Gallia mortuo Henrico II. ob Regis filij pueritiam inualuit Hæreſis: magna cum ſpiritualium ſimul, & temporalium bonorum ruina, & naufragio.

Sed in Hiſpania adueniente Philippo Rege Catholico, qui mirabiliter eſt perſecutus Hæreticos, omnia circa Religionem optimè habebant.

1559. Tandem Paulus IV. Pontifex moritur, & Pius IV. Mediolanenſis eius loco ſufficitur.

Pius IV.

Interim Pontifex omnem curam ad Concilium direxit. Et quidem quoad locum nullà Ciuitas Tridento commodior viſa eſt, nam & ſitus, & praxis admodum tali electioni fauebant. Quarè Pontifex de reuocando apud Tridentum Concilio Principũ Oratoribus proponit, & per ſuos Nuntios Principes ipſos edocet.

Pontifex nihil immorandum ſtatuit in conuocando Concilio Tridentum, ſed deliberandum prius, in vnum collectis Patribus, vt ſi Concilium *aliò transferendum videretur, id ſiat*, pollicituſque eſt Pontifex, *ſi res ita exegerit, ſe ad Concilium venturum*. Poſtulauerunt Germani, & Galli, *vt hæc non vocaretur Concilij continuatio, ſed noua indictio; præterea, vt Decreta iam facta iterum in Examen venirent, vel ſaltem ius relinqueretur Patribus, vel illa confirmandi, vel denuo examinandi*. Contta verò Hiſpani, atque Itali inſtiterunt, *vt hæc diceretur Continuatio, non autem noua indictio*. Pontifex

tiſex oppoſitis partibus volens ſatiſfacere, in Bulla indifferenter locutus eſt, eaque edita varios Nuntios miſit ad Principes, etiam ad illos, qui iam inde a Sede Apoſtolica diuiſi erant, non indignum eſſe dicens, *gratum ſe præſtare impijs pro animabus Chriſto lucrandis*.

Rebus igitur meliori, vt potuit modo compoſitis, Chriſtianis Principibus ſe ad Concilium conuertentibus, facta eſt à Pontifice ad Concilium Legatorum electio, quæ nec ſemel, nec vna fuit. Hi autem fuerunt *Hercules Conzaga Cardinalis Mantuanus, Hieronymus Seripandus ex Eremitanis Sancti Auguſtini, Stanislaus Hoſius Polonus, Ludouicus Simoneta; & Marcus de Altemps Pontificis nepos* S. R. E. Cardinalis, qui ſicut non ſimul electi, ita non omnes ſimul venerunt ad Concilium. In quorum primo aduentu memoria dignum traditur: quoddam lumen; ſiue exhalationem magnam, & inſuetam, ex terra in aerem eleuatam apparuiſſe, ſumma omnium admiratione, & extaſi. Confluentibus interim Epiſcopis vndique, ac ſimul iunctis Legatis, ad rerum Synodalium inchoationem deniq; ventum eſt.

1562. Die igitur 15.Ianuarij Anno 1562. pro aperiendo Concilio facta eſt Cõgregatio. Lectæ ſunt Apoſtolicæ litteræ, tum pro Legatis, tum pro rebus ad vſum Concilij. Poſtulauerunt Hiſpani, vt fiat declaratio *de Concilij continuatione, & de Decretis iam factis, non amplius examinandis*. Cui petitioni ſe oppoſuit Epiſcopus Zacynthius, qui olim Nuntius in Germania fuerat, dicens: *ſicut verum eſt, Decreta iam facta, nunquam in Examen reuocanda: ita declarationem hanc non parum detrimenti allaturam Chriſtianæ Reipublicæ; hac enim declaratione claudetur aditus ad Concilium Germanis, & Gallis, qui abſolutè illud nouum Concilium eſſe deſiderant.* Fauebant huic Sententiæ Legati; verùm Hiſpanis obſtrepentibus promiſerunt Legati Pontificis nomine, Decreta iam facta pro certis, ac ratis á Pontifice habenda, & ſedulò curaturos, vt in Decreto de aperiendo Concilio nihil in præiudicium dicatur, aut fiat. Electus deinde eſt omnium conſenſu Ægidius Foſcararius Mutinenſis Epiſcopus, vt videret conciones, & ſimilia publicè in Concilio dicenda: ſine cuius cenſura nihil in publicum proferendum.

Seſſio 17. Die 18.Ianuarij celebrata eſt Seſſio

In ordine decima ſeptima, de aperiendo Concilio; Miſſam cantauit Cardinalis Mantuanus, concionatus eſt Caſpar Foſſo Archiepiſcopus Rheginus. Lecta eſt à Secretario Pontificis Bulla de celebratione Concilij: deinde interrogati ſunt Patres de inchoatione Concilij. Ad verbum *Placet?* reſponderunt omnes affirmatiuè; exceptis quatuor, qui dixerunt interrogationem factam eſſe per verba ambigua.

Die 24. Ianuarij tria propoſita in Congregatione à Legatis. Primum, *de componendo Indice Librorum prohibitorum*. Secundum, *an citandi ſint. Hæretici, quorum errores damnantur?* Tertium, *de Saluo conductu Hæreticis concedendo*. Ad primum datum eſt munus hoc *quibuſdam ex Patribus*. Ad ſecundum dictum eſt, *ſufficere euulgationem de audiendis his, ad quos pertinet*. Tertium, *ad aliud tempus dilatum*. Dum hæc agerentur, venit ad Concilium Cardinalis de Altemps quintus Legatus, & Archiepiſcopus Pragenſis Cæſaris Orator. Hic breui ad Patres oratione eſt vſus, nam reliqua, quæ in mandatis habebantur alteri Oratori Collegæ venturo, proponenda reliquit. Die 9. Februarij venit ad Concilium Ferdinandus

Martinez Luſitanus Orator. Vndecimo verò die venit Sigiſmundus à Tuna alter Orator Cæſareus.

Die 16. Februarij facta eſt Seſſio in Ordine decima octaua, cantante Miſſam Patriarcha Hieroſol. & concionante Archiepiſcopo Corcyrenſi: in quâ etiam lectum Breue Apoſtolicum de Indice formando, & Decretum de Saluo conductu concedendo, qui die quarta Martij in Congregatione conceſſus fuit.

Seſſio 18.

Die 11. Martij propoſuerunt Legati duodecim articulos de Reformatione Canoniſtis examinandos; ſimulque perpendendum dederunt Theologis, an ſicut ſub Euariſto Pontifice, & in Concilio Lateranenſi declaratum fuit, *Matrimonia Clandeſtina in foro externo pro irritis habenda: ità poſſet fieri, vt & in foro conſcientiæ pro irritis habeantur?* Deinde venerunt Cæſaris litteræ ad Patres, quibus ſignificabatur in Germania arma conſurgere, cogitandum de Concilij ſuſpenſione. Exceptus deinde eſt in Congregatione Ferdinandus Aualos Marchio Peſcariæ, Hiſpani Regis Orator: ſicut & alijs temporibus excepti fuerunt varij Oratores Principum, omnes ferè Epiſcopi, pro Vngarico Clero, pro Heluetijs Catholicis, pro Coſma Me-

dices

dices Florentiæ, & Senarum Duce. Poſt hæc acceſſerunt Oratores Veneti, deinde Bauarus Orator, qui cum Venetis contendit de præcedentia, tandemque ceſſit proteſtatione facta. Sed hoc multò poſt euenit.

Formata ſunt deinde Decreta de rebus examinatis circa Reformationem: in Seſſione 19. decretum de prorogatione tantum eſt poſitum. Qua Seſſione habita, Hiſpanus Orator ad Mediolanenſis Ducatus regimen diſceſſit. *Seſſio 19.*

In Congregatione Generali, quæ prima poſt Seſſionem fuit, excepti fuerunt Oratores Galli, quorum primus erat Ludouicus Landſac, qui per aliquot antea tempus Orator apud Pontificem fuerat. Galli habita prius conſultatione cum Cæſareis, in Congregatione ſuam Legationem expoſuerunt, loquente omnium nomine Vibio Fabro, qui ſatis libera, & prolixa oratione eſt vſus: quare Promotor, qui Concilij nomine reſpondere ſolebat, nihil dixit: ſed abſoluta Gallici Oratoris oratione, Congregatio eſt dimiſſa. Sequenti die Galli propoſuerunt Legatis nonnulla, quæ ad duo capita reduci poſſunt. Primum, *vt Gallici Epiſcopi excuſarentur, quod*

adhuc non venerint ob bella, & tumultus Hæreticorum. Secundum fuit, *vt expreſſis verbis declararetur hoc Concilium ſeparatum eſſe, & independens ab omni alio: atque iterum in Examen vocanda, quæ ſub Paulo, & Iulio determinata iam fuerant.*

Legati in ſcriptis reſponderunt ad primum, *ſe excuſationem acceptare.* Ad ſecundum dixerunt, *ſe præſidere Concilio iuxta Sedis Apoſtolicæ litteras talem verò declarationem ſimpliciter pertinere, ad Concilium.*

In prima Generali congregatione excepti sũt Oratores Galli, & Seſſione 20. die 4. Iunij lectum eſt mandatum Regis, & Archiepiſcopi Salisburgẽſis.

Seſſio 20.

Interim Tridenti de propoſitis Articulis facta eſt à Theologis relatio. Primus Articulus erat, *an ſit diuinum præceptum Communio ſub vtraq; ſpecie?* Secundus, *an Eccleſia iuſtis de cauſis potuerit ſtatuere Laicos, & alios non celebrantes ſub panis ſpecie tantum communicandos?* Tertius, *an totum id, quod habetur ſub vna ſpecie, ſit etiam in alia?* Quartus, *an ratio, per quam Eccleſia inducta eſt, vt Calicis vſus tollatur Laicis, ſit talis, vt neque nunc concedi debeat?* Quintus, *an poſito, quod Calix ſit concedendus ſub aliquibus conditionibus, quænam illæ ſint?* Sextus, *an*

pueri

pueri ante vſum rationis ſint communicandi?

Relatio ſatis concorditer eſt facta; ſolùm fuit diſcrepantia de concedendo Calice, præcipuè in contrarium agentibus Hiſpanis, quorum caput erat Archiepiſcopus Granatenſis. Legati difficultatem videntes, nihil amplius de concedendo Calice proponere ſtatuerunt: ſed tantum Articulos illos ſex Patribus perpendendos, & determinandos dederunt. At Cæſarei, & Galli Oratores fortiter inſtiterunt apud Legatos pro Calice concedendo, quibus Galli ſcriptum quoddam hac de re obtulerunt.

Sed quoniam in illo pro Calice concedendo, aſſumebatur prohibitionem hanc Calicis non eſſe de iure diuino, ſed humano, in quo facilis vrgente cauſa poteſt eſſe diſpenſatio: Legati verebantur, ne conceſſo Calice ſub hoc titulo aperiretur via *ad coniugium Presbyterorum, ad Miſſam lingua vulgari, imò ad tollenda omnia, quæ ſunt de iure Eccleſiaſtico*, cum periculo, ne pertingeretur etiam ad ea, quæ ſunt iuris diuini: & ſic tota Eccleſia rueret. Quare principijs obſtare volentes, Legati Oratoribus inſtantibus dixerunt, *negotium hoc eb dif-*

ficultate ad aliud tempus transferendum.

Seſſio 21. Die 16. Iulij cum Dogmatum definitione facta eſt Seſſio 21. in qua omnes prædicti Articuli fuerũt determinati exceptis his, qui ad Calicis conceſſionem pertinebant. Reuerſo Roma Lancianenſi, turbis omnibus ceſſantibus, Cardinalis Mantuanus Patres admonuit de breuitate, & modeſtia in Congregationibus. Factæ ſunt etiam aliquæ leges pro Theologis, in examinando, & reſpondendo Articulis proponendis. Propoſiti deinde ſunt ad examinandum Theologis nonnulli Hæreticorum Articuli aduersùs SacroSanctum Miſſæ Sacrificium, qui per Principum Theologos diuiſi ſunt. Quare Galli, qui neq; Epiſcopos, neq; Theologos apud ſe habebant, ſcripſerunt ad Regem, vt ſaltem Theologos mitteret, qui Gallorum cauſas agerent: ne ipſi otioſi, ac ſuo Principi inutiles in Concilio viderentur.

Interim clarè apparebat, Hæreticos per Concilium nihil proficere. Pontifex igitur determinatis his, quæ ad Sacramenta, & ad ſimilia pertinent; Concilium citò abſoluendum ſtatuerat.

Reuerſus eſt hoc tempore ad Concilium Archiepiſcopus Pragenſis, qui

menſi-

menſibus præteritis ad Cæſarem iuerat. Hic quandam Reformationis formulam, & Calicis petitionem Legatis obtulit. Ad primum Legati reſponderunt, *hoc intempeſtiuum eſſe imminente Seſſione*. Ad ſecundum, *poſt examen de Sacrificio Miſſæ, conſultaturos*: Quo examine facto ſumma Theologorum, & Patrum concordia, pro Calice concedendo prima ſententia fuit *negatiua*. Secunda *affirmatiua ſub aliquibus conditionibus*. Tertia fuit dicentium, *negotium relinquendum Pontificis arbitrio.* Hæc vltima placuit tum Legatis, tum etiam Oratoribus Cæſaris, qui putabant hoc facilius à Pontifice, quàm à Concilio obtineri poſſe.

Die 17. Septembris celebrata eſt Seſſio, in qua poſt Miſſam lectæ ſunt litteræ Cardinalis Amadei, de aduentu Patriarchæ Orientalium, eiuſque Fidei profeſſio recitata eſt. Hic ab Euphrate vſque ad Indiam Chriſti fidelibus præeſt, qui partim viuunt ſub Turca, partim ſub Perſa, & partim ſub Luſitano Rege. Ipſe etiam ſiue eius prædeceſſores, ſub Paulo, & ſub Iulio III. Romam venerunt ad præſtandum Romano Pontifici debitum obedientiæ obſequium. Luſitanus Orator in ipſa Seſſione proteſtatus eſt, ſi Patriarcha hic, vt ferebatur, *Seſſio 22.*

batur,

batur, ad Concilium veniret, nullì alteri loco cedere debere. Reſponſum eſt à Promotore, *hac de re in Congregatioue agendum*.

Poſt Seſſionem allatæ ſunt ad ſuos Oratores Regis Galliæ litteræ, vt agerent cum Legatis de prorogãda Seſſione, vel vt ſolùm in illa de Reformatione, & non de Dogmatibus ageretur. Gallicos Epiſcopos breui adfuturos: ſi verò vlterius ad Dogmata procederetur, eorum aduentum inutilem fore. Eadem petitio facta fuit ab Imperialibus. Reſponſum eſt à Legatis, *ſe pro viribus facturos, vt Principum petitionibus ſatisfiat. Hæc tamen matura conſideratione indigere*. Propoſiti ſunt deinde à Legatis quidam Articuli de Sacramento Ordinis ad examinandum Theologis; quod autem Tridenti fiebat à Gallicis Oratoribus apud Legatos, etiam fiebat à Gallico Oratore apud Pontificem. Qui Regis Galliæ petitione audita, reſpondit: *Gallos ſumma cum patientia viginti octo menſium ſpatio fuiſſe exſpectatos; Cardinalem à Lotharingia cum Epiſcopis nunquam diſceſſiſſe ex Gallia, ob varia apud Regem obſequia; Gallos nolle Concilio adeſſe, Dilationem petere varijs de cauſis; Patres in Concilio ſumptibus, atque incommodis eſſe*

feſſos;

feſſos; Ad Galliæ Regem nihil ſpectare determinationem de Dogmatibus, cum ipſe Catholicè ſentiat: ſed potius de Reformatione eorum, qui ad beneficia præſertim pinguia, in ipſius Prouincijs promouentur. Quare, *ſi exſpectandi ſint ex Gallia Epiſcopi, pro Reformatione certè exſpectandos eſſe; Gallos ſub terminis vniuerſalibus Reformationem petere, ſi quid deſiderent in particulari, proponant.*

Reſponſum fuit per varia tempora à Theologis circa Articulos de Sacramento Ordinis, qui referuntur octo. Primus, *an Ordo ſit Sacramentum?* Secundus, *de numero Ordinum.* Tertius, *de Hierarchia Eccleſiaſtica.* Quartus, *an in nouo Teſtamento ſit Sacerdotium viſibile?* Quintus, *an in Ordinatione accipiatur Spiritus Sanctus?* Sextus, *an manuum impoſitio, & cæteræ Cerimoniæ ſint aſpernandæ?* Septimus, *an Epiſcopi ſint Presbyteris Superiores?* Octauus, *an Epiſcopi aſſumpti authoritate Romani Pontificis, ſint veri Epiſcopi?*

De Reformatione nihil adhuc propoſitum fuerat; etenim Legati verebantur, ne quidquid proponeretur vel Epiſcopis, vel Principibus odioſum foret; quare expedito tabellario, rem omnem Pontificem edocuerunt. Sed iam fama tulerat Cardina-

lem

lem à Lotharingia aduentare Tridentum, & Galliæ Rex Abbatem Mande hac de re ad Pontificem Nuntium miſerat, qui benignè acceptus eſt. Venit hoc tempore ad Concilium Valerianus Herbutus Præmiſſienſis Epiſcopus Poloniæ Regis Orator, & honorificè exceptus eſt. Præterea Cæſar per litteras à Legatis poſtulauit, vt in Dogmatibus determinandis immorarentur; ſpem eſſe, vt poſt Conuentum Francofurti Proteſtantes ad Concilium veniant, ſeque illi ſubmittant. Reſponſum eſt à Legatis Proteſtautium aduentum aut nullum, aut inutilem fore, Concilium pro hac re immorari non poſſe.

Cardinalis Lotharingus. Gallici Epiſc.

Acceſſit tandem ad Concilium Cardinalis Lotharingus, & Pontificis litteris Seſſio ad 26. Nouembris prorogata eſt, ſicut etiam poſtea, ad beneplacitum pro Epiſcopis Gallicis iam præſentibus. Legati interim, quoniam Pontifex eorum petitionibus non tam expreſsè reſpondit, Vintimillienſem Epiſcopum ad illum miſerunt: vt oretenus eum de omnibus edoceret, & ab eo certiores determinationes acciperet.

Die primo Ianuarij Vintimillienſis Romam venit, ſtatimq, reddidit ſui aduentus rationem Pontifici, qui cognitis

gnitis Legatorum petitionibus ſuffi-
cienter illis reſcripſit. Reuerſus eſt
deinde ex ſua legatione Tridentum
Vintimillienſis Epiſcopus, qui Ponti-
ficis nomine conſolatus eſt Patres, &
de proſequendo vſque ad finem Con-
cilio illius mentem aperuit. Qua-
rè Legati propoſuerunt Theologis
examinandos; vt ſuo tempore defi-
nirentur, quoſdam Articulos, de *Sa-
cramento Matrimonij*.

Fuit hoc tempore in Generali Cō-
gregatione honorificè exceptus Epiſ-
copus Haſtenſis Ducis Sabaudiæ Ora-
tor. Venit deinde Tridentum Rhe-
menſis Epiſcopus Regis Galliæ Ora-
tor ad Cæſarem, tunc Oeniponte
morantem; cum eo profectus eſt Lo-
tharingus. Varius cuiuſq; ſenſus de
hoc itinere. Acceſſit prætereà Tri-
dentum Salisburgenſis Archiepiſcopi
Procurator, petens; *vt Germanorum
Epiſcoporum Procuratores poſſint in
Concilio deciſiuam ferre ſententiam:
hinc ſpem fore, vt quam plurimi hac
conditione vtantur*. Res delata eſt ad
Pontificem. Die 11. Februarij alla-
tæ ſunt Synodo Regis Galliæ litteræ
de rebus pro Religione feliciter ge-
ſtis; & Ferreſius Orator Gallus, con-
cinna oratione eſt vſus ad Patres, vt
rebus Gallicis in Decretis conſule-
rent. Multa interim, & incerta fere-
ban-

bantur, & de Cæſaris mente Reformationem petentis, & de Bellicis proteſtantium motibus.

Reuerſus eſt Cardinalis Lotharingus ad Cōcilium die vltimo Februarij; & paucos poſt dies Cardinalis Mantuanus primus Legatus moritur: & non multò poſt Cardinalis Seripādus, qui moriens magnam in Sanctiſſimam Euchariſtiam teſtatus eſt pietatem, ac reuerentiam. Quare Pontifex ante iſtius mortem auditam, Ioannem Moronum, & Bernardum Nauagerum Cardinales Legatos ad Concilium elegerat. Accidit hoc tempore Guiiſiani Ducis mors à quodam Hugonotto ſicario illata; & paulò poſt mortuus eſt alter eius frater, qui fuerat magnus Prior in Gallia; quare Lotharingus duorum fratrum interitu eſt ſatis animo fractus.

A die 9. Februarij, vſque ad 18. Martij Theologi reſponderunt Articulis propoſitis de Sacramento Matrimonij. Viſum eſt primo, *an Matrimonium ſit Sacramentum?* Secundo, *an parentes poſſint filiorum Matrimonia irrita facere*, præſertim *occulta? &, an hæc vera ſint Matrimonia, & an poſſint ab Eccleſia irritari?* Tertio, *an poſſit repudiari uxor ex cauſa fornicationis, & viuente repudiata aliam ducere?* Quarto, *an ſit* ad-

admittenda Bigamia? & an Eccleſiæ præceptum de non celebrando Matrimonio certis temporibus ſit Ethnicorum ſuperſtitio? Quinto, *an Matrimonium ſit anteponendum Cælibatui?* Sexto, *de Matrimonio Presbyterorum*. Septimo, *de Gradibus Matrimonium dirimentibus*. Octauo, an vt quidam falsò aſſerebant, *inhabilitas, & error tantum ſint impedimenta Matrimonium dirimentia?* Et, *an cauſa Matrimonij ad ſæcularem iudicem pertineant, & non ad Eccleſiaſticum?*

Die 23. Aprilis Cardinalis Nauagerus veſpere & ſecreto, vt iactantiam fugeret, Tridentum ingreſſus eſt; & paulò poſt Cardinalis Moronus. Poſt cuius aduentum pro determinando futuræ Seſſionis die, ad 15. Iunij tempus dilatum eſt. Hoc tempore Comes Lunenſis Hiſpanus Orator, qui diu propter præcedentiam in ſedendo, Concilium adire moratus fuerat, tandem die 21. Maij, Congregationem ingreſſus eſt ſeparatim ſedens, præuia proteſtatione.

Tandem in varijs Congregationibus viſis, & examinatis quæ ſpectant ad Sacramentum Ordinis, Die 15. Iulij celebrata eſt Seſſio in ordine 23. cantante Miſſam Epiſcopo Pariſienſi, & concionante Alifienſi Epiſcopo. Lectæ ſunt litteræ Scotorum Reginæ, *Seſſio 23.*

&

& excepti ſunt varij Principum Oratores. Abſoluta Seſſione Legati ad Concilij finem tendentes, cum iam de Matrimonio à Theologis ſatis conſideratum fuiſſet, dederunt illis examinanda aliqua alia Capita, ſcilicet de Indulgentijs, de Veneratione Sanctorum, & de Purgatorio.

Die 22. Iulij facta eſt Congregatio, in qua viſis Decretis de Matrimonio, duo propoſiti fuerunt Articuli. Primus, *an deceat coniugatos promoueri ad Ordines Sacros?* Secundus, *an Matrimonia clandeſtina irrita eſſe in poſterum ſtatuendum ſit?* Ad primum reſponſum fuit *negatiuè*, Ad ſecundum 136. Patres reſponderunt *affirmatiuè*, 57. *negatiuè*, diſputatum eſt etiam de Matrimonij abuſibus, & impedimentis.

Die 11. Auguſti inceperunt fieri variæ Congregationes pro Canonibus condendis de Matrimonio, & in determinando de nuptijs filiorum familias. Vbi oblata occaſione definitum eſt de Matrimonijs clandeſtinis, *vt in poſterum illa tantum Matrimonia ſint valida, etiam in foro conſcientiæ, quæ fiunt*
Seſſio 24. *coram Parocho, & teſtibus*. Die igitur 11. Nouembris celebrata eſt Seſſio, in qua lectæ ſunt litteræ

Mar-

Margaritæ Parmenſis ex Belgio, & in ea Seſſione pariter exceptus eſt ex Melita Militúm Sancti Ioannis Orator.

Pro abſoluendo Concilio facta eſt priuata Congregatio in domo Cardinalis Moroni, conſtans ex Legatis, duobus alijs Cardinalibus, Lotharingo, & Madrutio Oratoribus Principum, & 25. Epiſcopis, delectis ex notioribus. In ipſa omnium conſenſu (exceptó Oratore Hiſpano, cum ſuis, qui dixit reſcribendum Regi) determinatum eſt, finem imponendum eſſe Concilio. Rebus igitur ad exitum tendentibus, & ſufficienter examinatis his, quæ ſpectant *ad Indulgentias, Venerationem Sanctorum, & Purgatorium*, atque definitis illis, quæ attinent ad Reformationem: & quidem quò ad Principes tantùm quædam communia, & antiqua in Decretis ponenda: cum de Concilij abſolutione ageretur, determinatum eſt, *petendam eſſe à Romano Pontifice omnium Decretorum confirmationem, tam eorum, quæ ſub Paulo Tertio, & Iulio Tertio, quam ſub Pio Quarto Pontificibus, facta fuerunt.*

In Capite vbi agebatur de Epiſcopi authoritate ſupra Capitulum, quo-

quoniam Hiſpani Epiſcopi communem cum Rege hac in re cauſam haberent, ſcripſit Hiſpanus Orator ad eum, qui Romæ apud Pontificem erat, vt Regis cauſam ageret. Quo audito reſpondit Pontifex, *de hoc agendum in Concilio;* addidit Orator: *Patres in dies mutari*, ſubiunxit Pontifex, *mutantur quia liberi ſunt*, arguens Lunenſem, quod tam obnixe inſtaret aduersus verba illa: *proponentibus Legatis*. Poſtulatum præterea fuerat à Pontifice per ipſum Oratorem Hiſpanum, vt imperaret Patribus, ne tam cito Concilio finem imponerent. Reſpondit Pontifex *hoc petendum à Patribus in Concilio, quorum libertati ipſe Rex maximè fauet;* & dicente Hiſpano: *totum mundum optare, vt Concilium apertum diu permaneat;* reſpondit Pontifex, *inquire Ptolomaicas tabulas, & cognoſces, an Hiſpania ſit totus mundus?* At Legati audito Nuntio de aduerſa Pontificis valetudine, nihil amplius immorandum dixerunt; ſed coarctantes futuræ Seſſionis diem, ab Hiſpano Oratore petierunt, vt *communi omnium voto de claudendo Concilio* aſſenſum præberet. Ipſe verò contra habito cum ſuis Colloquio proteſtationem parabat. Sed Legati diſpoſitis omnibus ad Seſſionem,

&

& in Cõgregatione præſcripto omniũ conſenſu (exceptis Hiſpanis) Seſſionis die, ſtatuerunt etiam inuito Lunenſi Concilium claudere. Quare Lotharingus, & Cæſarei denuò Lunenſem adeuntes, tandem coegerunt eum, vt ſuum aſſenſum præſtaret.

Vndè die tertio Decembris celebrata eſt Seſſio, in qua orationem habuit, Hieronymus Ragozonius, Nazianzenus Epiſcopus; lecta ſunt Decreta in illo, & ſequenti die impoſitus eſt Concilio finis. Additæ ſunt Patrum acclamationes in fine Concilij præloquente Lotharingo; & alijs item ſequentibus. Altero autem die factum eſt Patrum Subſcriptio ex Legatorum mãdato. Fuerunt ſubſcribentes Cardinales Legati quatuor, & alij duo Cardinales; Patriarchæ ſeptem; Archiepiſcopi viginti quinque; Epiſcopi 268. Abbates ſeptem; Generales Ordinum ſeptem; Abſentium Procuratores 39. *Seſſio 25.*

Conualuit Pontifex, & allato Nuntio de Concilij abſolutione eſt lætata vrbs vniuerſa. Pro Concilij confirmatione inſtituta eſt Congregatio ex octo Cardinalibus, deinde illis additi ſunt alij Præſules, & Miniſtri in Romana Curia. Tandem ex ſententia Hugonis Boncompagni Daſirenſis Epiſcopi definita eſt, *omnium De-*

cre-

cretorum Confirmatio , tam eorum , quæ ad Fidem , quàm etiam eorum , quæ ad Reformationem ſpectant. Monuit idem Hugo Pontificem , vt mandet , *ne cuiquam liceat paſſim Concilij Tridentini Decreta ad libitum explicare , aut illis Gloſſas , & declarationes apponere ; ſed omnis declaratio à Sede Apoſtolica pendeat , & hoc , vt Concilij Decreta illibata , & incorrupta permaneant.*

1564. Die igitur 26. Ianuarij 1564. oblatum eſt Pontifici in Conſiſtorio *Decretum de petenda Confirmatione , in vltima Seſſione editum* , qui viſo Decreto , & habitis affirmatiuis Cardinalium votis (exceptis duobus à Sancto Clemente , & Alexandrino , *qui dixerunt per Concilium hoc multum tribui Epiſcopis)* Confirmationis ſententiam protulit . Bullam prætere de eiuſdem Confirmatione edidit , & per Chriſtianum Orbem pro illius executione Nuntios miſit.

FINIS.

BIBLIOTECA ... VITTORIO ...

LEGATORIA DI LIBRI
R. CIC
Borg